



**In epistolas dominicales Explicationes Victorini Strigelij. Nunc
primum in lucem editae opera & studio Christophori Pezelij,
sacrae Theologiae Doctoris.**

<https://hdl.handle.net/1874/455221>

I N E P I S T O -
L A S D O M I N I -
C A L E S

Explicationes

VICTORINI STRIGELII.

*Nunc primum in lucem edita
opera & studio*

CHRISTOPHORI PEZELII, sacrae
Theologiae Doctoris.



NEAPOLI PALATINORVM,
Typis Matthaei Harnisch.

M. D. LXXXI

ОТВЕТЫ

СИМФОНИИ

ДЛЯ ПЕСЕННОЙ

СИМФОНИИ

INCLYTO AC
GENERO SO COMI-
TI ET DOMINO, D. FRI.
derico, Comiti in Diffholt & Brunckhorst,
Domino in Borckela &c, Domi-
no suo clementi.

S. P. D.

 Vemadmodum in populi Israëlitici synagogis, integri Prophetarum libri ordine prælectabantur, de quibus iussus eius, qui synagogæ præerat, duo vel tres ex doctoribus senioribus ad captum vulgi quædam interpretabantur: Sic primis Ecclesiæ Christianæ temporibus apparet libros scripturæ saceræ ordine ac integrè in cœtibus publicis prælectos, & de locis obscurioribus sententias dictas esse à senioribus, ceu interpretibus, de quibus iudicium penes sedentes erat. Fuit enim ordo dicentium in publicis congressibus honestissimus, cum in Synagoga veteri, tum in Ecclesia, quam Apostoli ad morem veterem iniitio constituerunt. Non erant promiscui clamores vulgi, quales fuerunt Ro-

P R A E F A T I O :

mæ in suffragationibus Tribunitijs, nec Tyranniserat; sed seniores suo loco dicebant sententias, & iudicium erat penes Ecclesiam de singulorum sententijs, quæ cùm probabat alicuius interpretationem, alius non obstrepebat, nec movebat certamen. Si quis modestè adde-re aliquid vellet, fuit ei concessum, iuxta regulam: Nolite extinguere Spiritus: omnia probate, quod bonum est tenete.

Inde non dubium est fluxisse nomen τῶν ὁμιλιῶν seu homiliarum, quod origine vocis suæ ad familiarem conuersationem & colloquia mutua alludit, etsi postea ad conciones Ecclesiasticas, quæ sequentibus temporibus tantum à ministris Ecclesiæ habebantur, translatum est. Cùm enim varia illa dona cessassent, quibus prima Ecclesia ornata erat, mutatus fuit mos vetus, quo dicendi in publico potestas data fuerat etiam his, qui non erant vocati ad ministerium.

Materia tamen sermonum seu concionum Ecclesiasticarum longo tempore fuit enarratio librorum Prophetorum & Apostolicorum, qui non mutilatim, sed integrè ad populum explicantur, vt ex veterum doctorum in Ecclesia monumentis constat.

In

P R A E F A T I O.

In festis autem præcipuis, quæ distin-
tis inter uallis temporum etiam in an-
tiquissima Ecclesia quotannis celebrata
sunt, textus peculiares ex historia Euau-
gelica Christi tractatos fuisse, Basilij, Na-
zianzeni, Augustini & aliorum exem-
pla ostendunt. Nam ut historiæ Christi
partes certa quadam serie se inuicem
consequuntur in scriptis Euangelistarū
& symbolo: Sic Ecclesiam noui Testa-
menti, consentaneum est, iam olim sta-
tis ac solennibus festis celebrâsse memo-
riam natuitatis, passionis, mortis, re-
surrectionis, ascensionis Christi in cœ-
lum, & manifestæ effusionis Spiritus
sancti, quæ testimonium fuit visibile,
atque adeò initium noui regni Christi,
propagandi ministerio Euangelij in to-
tum orbem terrarum.

Nec inutilis pædagogia est, nunc
quoque in repurgatis Ecclesijs seruari
ordinem festorum, remota supersticio-
ne, quæ sub Papatu fuit addita.

Sunt enim festa eiusmodi ceu Ca-
lendaria Ecclesiastica, seu fastorum iu-
star, quibus monemur, quo tempore fa-
cta sint singula, quæ historia Euangelica
de Christo commemorat. Deinde ve-

P R A E F A T I O.

Iut tessaræ quædam militares & vexilla
seu insignia Christianorum sunt, quibus
non voce solum, sed gestu etiam ipso fo-
ris edunt confessionem suam, de persona
& beneficijs Christi, & hac se ab omnib.
fectis alienis à societate veræ Ecclesiæ se
iungunt ac separant. Deniq; vt tubæ clā-
gore suo milites in castris commorantes
officij sui admonent: sic festorum solen-
nitates animos piorum exuscitant ad
gratiarum actionem erga Deum, eius-
démq; inuocationem, quæ tūm fit ardē-
tior, cùm & temporis ratio, & festiuita-
tū solennis celebratio, beneficia diuina,
tum externis sensib. tum etiam mentib.
ipsis fortius atque altius imprimunt.

In his igitur festis anniuersarijs, etiā an-
te initium Papatus, certæ partes textuū
Euangelicorum propositæ fuerunt pu-
blicè, vt rude vulgus historiā Christi sin-
gulis annis repetitam & disceret exacti,
& animo retineret firmius. Sed lectiones
Euangeliorum & Epistolarum Domini
calium non, vt aliqui putant, Hierony-
mus, qui Augustino σύγχρονος fuit, sed
Paulus Diaconus circa tēpora Caroli Ma-
gni, (vbi & Missæ abusus magis magisq;
creuerunt) in eum ordinē digessit, quo
adhuc

P R A E F A T I O.

adhuc hodiè dieb. Dominicis consueto
more in Ecclesijs plærisq; proponuntur
& explicantur. Et extat liber Homeliarij
titulo inscriptus, in quo post prefationē
Pauli Diaconi, ad textus lectionū Euani-
gelicarū Dominicalium additæ sunt &
~~exhortati~~ explicationum, tanq; particulae
decerptæ ex voluminibus commentari-
orū Chrysostomi, Ambrosij, Augustini,
Hieronymi, Gregorij Magni & similiū
scriptorum veterū, qui libros integros
scripturæ enarrationib. suis illustrarunt.

Has Postillas vsitatè nominant, & ini-
tium illarum in annum Domini octin-
gentesimum sextum collocatur. Nec de
nihilo est, quod iampridem viri docti
conquesti sunt, nō leue incommodum
Ecclesiæ Postillas istas attulisse. Hac e-
nim occasione sub Papatu factum est, vt
scriptura magna ex parte mutilata, vili-
us haberi cœperit: Ministri etiam Eccle-
siarum negligentius in legendis sacris li-
teris versati sint: Denique eò tandem
res redierit, vt multi non alias scripturas
extare putarent, quam Dominicæ il-
las, quas solas prælegi audiebant.

Narrat alicubi Princeps optimus Ge-
orgius Anhaltinus, cui? memoria apud

P R A E F A T I O.

omnes piose st̄t̄ in benedictione, sibi iuueni notos fuisse quosdam celeberrimos & doctissimos viros, imò presbyteros, pastores, doctores & Episcopos, quo rum plurimi iguorabant, an alia scriptura sacra effet, & an plura essent Euangelia & Epistolæ, quam lectiones in libris Missalibus & breuiarijs. Multa etiam superiori ætate templo & parochias fuisse ait, vbi Biblia ne quidem conspecta vnquam fuerint.

Hæc vt iustissimæ zelo taxantur ac reprehenduntur: sic è contrario felicitas nostri seculi iure ac meritò prædicatur, qua Biblia integra in omnibus linguis Ecclesiæ iterum innotuerunt, vt non solùm à doctis, sed etiam à pueris & pueris legi & cognosci possint.

Etsi autem in multis Ecclesijs repurgatis per Germaniam, in ijs concionibus, quæ diebus profestis habentur, certi libri scripturæ ordine enarrantur: Alicubi etiam lectiones capitum Biblicorum ita in cœtu populi recitantur, vt intra paucorum annorum spaciū ferè vniuersa Biblia audire homines possint: Retinetur tamen paſſim adhuc cōsuetudo, diebus Dominicis proponendi populo

P R A E F A T I O.

populo lectiones visitatas Euangeliorū & Epistolarum, idq; hoc consilio: Quia eorundem textuum repetitio anniuer-saria, eos ipsos textus familiariores red-bit rudioribus, eisque occasionem præ-bet, vt redeuntibus quotannis ijsdem temporum vicibus, accuratiū cogitent de vsu illorum textuum, qui vel ad do-ctrinam, vel ad consolationem, vel ad exhortationem pertinent.

His sunt enim fines, ad quos tum à cō-cionatoribus, tum à populo referendæ sunt, tum lectiones textuum Biblico-rum quorumcunque, tum eorundem explicationes eruditæ, vt Paulus disertè monet, cùm inquit: Prophetantem, id est, interpretantem verbum Dei, idque applicantem Ecclesiæ, loqui hominib. ædificationem, & exhortationem, & consolationem.

Nominat ædificationem doctrinam de articulis fidei, & de distinctione Legis & Euangelij, & alijs membris Christianæ religionis principalibus. Exhortationē vocat adhortationem ad poenitentiam & bona opera, & seueram reprehensio-nem vitiorum. Consolationem verò addit, quia non est finis doctrinæ in Ec-

P R A E F A T I O

clesia tantum scientia, nec tantum actiones nostræ, sed Deus sc̄ ideo patefecit & Euangelium tradidit, vt liberet nos à peccato & morte. Erigenda est igitur fides, id est, fiducia misericordiæ, quam cùm acquiescimus in Deo, sequitur pax & gaudiū, & accenditur inuocatio, spes & gratiarum actio. Scimus enim inuocationem nequaquam irritam esse. Leniuntur igitur dolores spe mitigationis calamitatum aut liberationis, quam petimus & expectamus. Et gratiarum actio accenditur, cùm ordine beneficia Dei ut cunq; agnoscimus, primū remissionem peccatorum, deinde auxiliū, & præsentia Filij Dei nos sustentantis, postea mitigationem calamitatum vel liberationē.

Nec verò aut libertatem Christianam nobis ipsis adimi velimus, probabilitatione interdum discedendi à serie lectiōnum Dominicālium: Neque Ecclesijs quibusdam Euangelicis apud exterōs eā felicitatem inuidendam putamus, quā mox ab initio reiecti Papatus, vetustissimum sanctorum Patrū morem in usum reuocarūnt, libris scripturæ integris ad populum interpretandis, diebus etiam Dominicis. Sed quia vulgus pleriq; in locis,

P R A E F A T I O.

locis, vſitatis textibus Dominicaliū lectionum affueuit, sine superstitione eas, rudiorū cauſa, retineri posſe iudico modo concionatores, qui prodeſſe volunt populo, operam dent, vt auditores affueſciant, vt ſumma quādā doctrinę Christianę comprehendere ſtudeant, & quaſi *τωματοποιῶν*: Et in ſingulis matri- rijs dirigant orationem ad certos eius corporis locos, idq; ex veris fundamen- tis extruant & illuſtrent, & ſimul in ani- mis aculeum relinquant timoris Dei, & fidei ſeu conſolationis.

Hæc quantum curæ, diligentię, erudi- tionis, prudentię, copiæ requirant, me- diocris interpres experiundo cogno- ſet, & poſſunt tamen intelligentes iu- uari conſideratiſ aliorum exempliſ.

Etsi igitur magno numero extenſ Po- ſtillæ latinæ & germanicæ, ſcriptæ à diuer- ſis authorib. noſtra ætate, poſtquam lux Euangeliū rurſus per Germaniam accen- ſa eſt, & alia in alijs eminent: Tamē hanc quoq; Victorinianę Poſtillę partem, que Epiftolarum Dominicalium explicatio- nem breuem & expeditā continent, eden- dam eſſe duxi, quia methodum & formā orationis Philippicam, que ad docendū maximè

P R A E F A T I O.

maximè accommodata est, imitatur, imò ex diuersis Melanchthonis scriptis pleraq; sic colligit, vt dispersa varijs in locis, ad propositos saltem textus accōmodare voluisse author videatur. Nec dubito, iuuentuti hunc laborem aliqua ex parte profuturum esse, cùm vera, recta & vtilia complectatur, & in concionibus Apostolicis explicandis, præter Grammaticam enarrationem sermonis, figurarum & phraseos, & Dialecticā membrorū distinctionem, passim locos doctrinæ, exhortationis & consolatio-
nis misceat, & eos quidem selectissimos & ad vulgi captum maximè idoneos.

Tuæ autem generositati, inclyte & generose Comes, has pagellas dedicandas esse statui, vt obseruantiam meam ostenderem erga G. T. cuius nomen propter pietatē & virtutē bonis & doctis omnibus meritò carissimum est. Hoc ergò qualemq; studium meum vt G. T. boni consulat, & me in hac vicinia Reipublicæ nostræ & Comitatus tui inter eos habeat, qui T. G. sincerè colunt & amant, obnixè oro. Benè valeat Generositas tua, cui me ea, qua par est, reuerentia commendo. Datum Fabiranæ Saxonum, Mense Septembri, Anno 1584.

Tuam generositatē Reuerenter colens
Christophorus Pezelius S. Theo-
logiæ Doctor.

EPISTOLA
PHILIPPI MELAN-
CHTHONIS AD MARTI-
num Sidemannum, de optima ratione
instituendi sacras con-
ciones.

Magnum omnino decus est hic ora-
tor in Ecclesia, qui recte, distincte,
iusto ordine, perspicue doctrinam
cælestem explicat: nec aliud opus in
terram aius est. Nam hæc hominum natura
ad hunc summum atq; extremum finem con-
dita est, ut Deum celebret. Nec vero putas il-
lum oratorem subito nasci. Statim ab adole-
scencia inchoanda sunt exercitia. Dicet in po-
pulo, paulatimq; animaduertet, quid maxi-
mè in dicendo & profit & deceat: audiet ali-
os, conferet suum consilium, suamq; formam
ad aliorum formas. Magna enim sunt discri-
mina.

Primum indocti nec docere explicare pos-
sunt, nec adhibere motus conuenientes, &
peccant multis in rebus. Dicunt interdum
parum utilia, colligunt conuicia ex sermoni-
bus conuiutorum.

Deinde alijs sunt doctiores, vera dicentes,
sed nimis verbosè, ac sine nervis, nihil inter-

prerantur, nihil citant insignium dictorum; quæ prudentium auditorum animos vehe- menter excitare solent, nihil recitant exemplorum. Denig, nō multum ab indoctis hi di- stant, nisi quod vincunt copia, et quod minus sordida ḡaygoua dicunt. Ac multi iam sunt qui huic unire student, ut hac luxurie ora- tionis auditores teneant. Nominatim ali- quos referre possem, sed id corām rectius fieri. Nam tui monendi causa hæc scribo, non ut cuiquam inuram notam.

Tertio loco sunt, qui hoc consilium domo adferunt, ut res utiles ac necessarias di- cant, & has arte, lectis, proprijs & signifi- cantibus verbis distinctè exponant. Distri- buunt materias, proponunt, admonent au- ditorem quid ex quolibet loco utilitatis ex- cerendum sit, inserunt insignes sententias, quæ feriunt animos, addunt exempla, con- cludunt ita, ut populus sciat quid memini- se debeat, quod sècum domum auferat. Ad- dunt & motus: Excitant timorem comme- moratione horribilium minarum: Accen- dunt fiduciam, propositis sententijs aut hi- storij de fide. Disertè alias de Lege, alias de Euangeliō dicunt, & prudenter retinent di- scrimen: Alias sunt in schola ἐγνηται seu interpres, alias inflammatores motuum animi, & hac non tantum quadam redun- dantie

dantia sermonis, sed potius proprio & graui sermone efficiunt. Talem memini me olim audire Lutherum.

Vt autem ad formam Ecclesiae utilem reas-
suefasias, profecto prodest statim incipere.
Multæ enim tuis erratis monitus disces. Ego
quoties iam easdem materias retexui (quos
enim habemus scriptores, quos imitari po-
teram?) paulatim animaduerti, quo genere
verborum, quo ordine has res dici prodesset.
Prima scripta huius etatis multa referunt
Augustini: Posteriora sunt dexteriora &
simpliciora.

Cum igitur seruire Ecclesiae constitueris,
meum est consilium, tibi sum hortator, ut
concionando exercere te quam primum inci-
pias. Neg, ideo depones hæc communia studia
literarum et Philosophia. Hæc cultura multū
utilitatis adfert. Nam erudit i magis intelli-
gunt, quid deceat et profit. Disponere materi-
as facilius possunt, diligunt verba iudicio
grauiori. Deniq, ut à pictoris arte sculptor
adiuuatur: sic ille interpres seu Orator in Ec-
clesia adiuuatur à doctrina philosophica, &
elegantia literarum. Nec putes hæc studia
coniungi non posse. Imò collatio plurimū
lucis virrique adfert, & utrumque collatio-
ne fit dulcius. An tu non putas prodesse hi-
storia græca et latīna & cognitionē in Ecclesia?

non Philosophorum & sapientissimorum hominum sententijs ratiociniora illustrari? Sed tibi de hac coniunctione doctrinarum meum consilium notum est.

Effudi hanc Epistolam subito, cum quidem aduersa valetudine conflictarer. Nam contentione vocis in hac assiduitate scholastica insigniter melaudi sentio, praesertim postquam vires corporis iam ante a curis & laboribus fractae sunt. Sed hoc vita curriculum, quid est nisi transitus ad meliorem vitam per has arumnas? in quibus demus operam, ut aliqua ex parte nostri labores seruant Ecclesia, & illustrent doctrinam de Deo et de bonis rebus. Tales impendent rerum mutationes, quibus Principum stulta cupiditates occasionem præbent, ut discedere ex his tumultibus libeat. Sed si contingeret vita longior, libellos iuuentutis causa scriptos ederem aliquantò magis expolitos. Etsi occupationibus illitteratis hæc consilia etiam multum impediuntur. Sed Deum aeternum, Patrem Domini nostri Iesu Christi oro, ut Ecclesiam suam conservet, regat, & me quoque gubernet. Salutem opto meo conterraneo, & ceteris amicis. Benè vale, Die 9 Nouemb.

DOMINICA PRIMA ADVENTVS.

Epistola Roman. 13.

Presertim cùm sciamus tempus, quod tempestivum sit, nos iam à somno expergisci. Nunc enim proprius adest nostra salus, quācum, cùm credebamus. Nox progressa est, dies autem appropinquat. Ab iocamus igitur opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Tanquam in die compositè ambulemus, non commissationibus ac ebrietatibus, non cubilibus ac lasciviis, non contentione & amulatione, sed induamini Dominum Iesum Christum: & carnis curam ne agatis ad concupiscentias.

QVanquam breuis est oratio Pauli, ut omnium sapientum: tamen instruta est rebus his omnibus, quibus abundant hi, qui eloquentes & habentur & nominantur. Nam Paulus, qui fuit verius, quā Pericles, orator tonans & fulgorans, & in mentibus aculeos relinquens, non tantum iudicio quodam, atque momento suas cogitationes dispositus, sed verbis etiam illustravit, quæ delectatione aliqua lectorem allicere posseunt. Quod cùm ex aliis scriptis intelligi potest, tūm ex hac Epistola vel

A

maximè, quæ optimo ordine disposita atque dispensata est.

Orditur enim à propositione concionem ~~magistrorum~~, in qua hortator est piis omnibus, ut serio expauescant cogitatione de ira & iudicio Dei, & abiificant propositum peccandi, & ad Deum redeant. Hæc sententia est horum verborum: Tempus est, nos de somno surgere.

Nam somni appellatione describitur ingens & prophana securitas mentis humanæ, quæ non sentit se à lege accusari; non expauescit: non sentit iram Dei aduersus peccatum: immò ne leuiter quidem cogitat, quanta res sit, peccatum aut ira Dei. Denique malum hoc profundius est & maius, quam ut explicari possit.

Securissimè indulgent suis furoribus Nero, Caligula, & infinita multitudo hominum, donec veniunt poenæ, & mentes opprimuntur sensu iræ Dei.

Antonium nec leges, nec senatus autoritas, nec foedera sanctissima retinere poterant, quò minus bella ciuilia moueret. Itaque victus tandem, non impetrata venia à victore, cum miserè vidisset reginam Cleopatram sibi mortem consicenté, ingenti cum dolore & ipse sese iugulat. Non hæc casu fieri exilitemus, sed ordinatione Dei: nec ab uram imensa misericordia Dei, concedentis spacium generi humano, ut ad Deum redire possit.

Non igitur nobis ipsis blandiamur, nec extenuemus lapsus nostros: sed agnoscamus Deum.

Deum verè irasci peccato, & accusemus nos
gemitu, vt Dauid inquit: Peccaui Domino.
Et intueamur Filium Dei Mediatorem, &
fiducia Mediatoris redeamus ad Deum: peta-
mus nobis ignosci, nos recipi & sanari: cogi-
temus illam dulcissimam vocem: Gaudium
est in cœlo super uno peccatore conuerso. Ius-
jurandum illud nobis in mētem veniat: Viuo
ego, nolo mortem peccatoris: sed vt conuer-
tatur & viuat.

Deinde temporis appellatio monet, ne
quis differat in suam commissa piacula mor-
tem, vt poëtæ utar verbis.

Nemo enim tām diuos habuit fuentes,

Craftinum vt possit sibi polliceri.

Res Deus nostras celeri citatas

Turbine versat.

Deploremus igitur ingentem imbecillita-
tem humanæ naturæ, & simus vigilantiores
aduersus illecebras & insidias diaboli. Me-
minerimus singula peccata meteri subitam
mortem, sicut adulteri & homicidæ in ipso
facto sæpe interficiuntur; & tamen immensa
misericordia Dei vobis concedi spacium, vt
ad Deum redire possimus, vt dicitur Esaiæ 30.
Propterea expectat Dominus, vt misereatur
nostræ. Et in Luca idem significat parabola de-
fici. Non abutamur hac rāta bonitate Dei, sed
nunc verè doleamus, Deum à nobis offendit
esse, & cum Propheta clamemus: Tibi Domi-
ne iustitia, nobis confusio facie.

Nunc enim propinor est salus.)

Prima ratio ducitur ab occasione, quæ nobis in præsentia offertur. Neque enim imaginandum est, Christum procul abesse, & in cœlo ociosum sedere, sua sapientia & virtute gaudere. Deponantur ex animis hæc insultæ & prophane cogitationes, quæ Christum remouent à rerum humanarum procuratione. Itaque ut excitemus nos ad inuocationem & fidem, diligenter omnia dicta nobis inculcemus, quæ testatur, adesse Ecclesiæ suæ Filium, & velle nobis osculum præbere, modò non defugiam us ipsius amplexū, nec aspernemur in gentia beneficia, quæ nobis sua sponte pollicetur atque defert.

Sic enim dulcissimè ait Apocalypſ. 3. Age pœnitentiam : Ecce sto ad ostium, & pullo: si quis audierit vocem meam, ac aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cum eo cœnabo.

Sed dolendum ac deplorandum est, tantum esse stuporem mentium humanarum, tantamque ingratitudinem, ut Christum volentem nos complecti amantissimo ac suauissimo osculo, aut omnino, aut magna ex parte negligant & contemnant. Est enim verissima vox Tecmessa apud Sophoclem: Homines stulti bonum in manibus cum habent, non sentiunt, priusquam amiserunt. Etsi igitur homines prophani Christum negligunt, nec magnopere in rebus secundis deluderant, tamē absentem aliquando lugebunt, cum

cum in nos magno impetu omnes terrores
periculaque irruent omnia. Quamobrem
hoc triste malum ex animis eiiciamus, & di-
scamus grato pectore amplecti beneficia Filij
Dei, & verè oremus, ut Spiritus sanctus in no-
bis fidem & gratitudinem accendat.

Nox præcessit, dies appropinquauit.)

Altera ratio sumpta est à collatione tempo-
rum, quę nos meritò impellere debebat, vt pœ-
nitentiam ageremus. Nam vt nihil dicam de
statu mundi, qualem inuenerunt Apostoli,
quis ignorat, qualis vbique caligo fuerit, an-
tequam hæc causa à Luthero mota est? Huma-
nis ceremoniis monasteria, tépla, imò familiæ
omnes ita fuerunt oppressæ, vt Gerson & alij
multi hanc carnificinā deplorarent. Ethnico
more inuocati sunt mortui, ad statuas concur-
sationes factæ sunt, doctrina pœnitentiæ fuit
obruta spinis disputationum inextricabili-
um, de confessione, de satisfactione, de indul-
gentiis. Silentium fuit de fide, qua accipien-
ta fuit remissio peccatorum.

Hæc ignoratio fidei etiam inuocationem
corrumpebat. Nemo rectè discernebat legem
diuinam, & humanas traditiones. De lege
diuina quam absurdæ fuerunt opinione cum
scriperunt, homines posse legi Dei satisface-
re? Cœna Domini magna ex parte ad mortu-
os translata est multis seculis, & horribili i-
dolomania contaminata: de vero vſu sacra-
mentorum filantium fuit: conciones publicæ

multis locis rarissimæ fuerunt. Alibi con-
sumptæ sunt in fabulis de Georgio, Christo-
photo, Catharina & similibus, aut in augen-
do quæstu Monachorum: iacebat doctrina de
vera inuocatione, de fidei exercitiis in quoti-
diana vita, de dignitate viræ politicæ.

Siquis negat fuisse talem Ecclesiarum sta-
tum, non solum testimoniis optimorum vi-
rorum refutari potest, sed etiam libris Mona-
chorum, qui adhuc extant.

Econtrà pij agnoscant, emendationem di-
uinitùs factam esse, cùm Deus excitauit men-
tem Reuerendi Domini Doctoris Martini
Lutheri, irritati impudentia nuncij Pontifi-
cij, qui indulgentias venales circumulerat, vt
veram, puram & salutarem doctrinam de
penitentia, de iustitia fidei, de discrimine
Legis & Euangeli, de discrimine verorum
cultuum, qui mandato Dei præcipiuntur, &
humanarum traditionum, de vero vsu Sacra-
mentorum, initio monstraret. De his maxi-
mis rebus prima certamina fuerunt.

Postea multorum articulorum explicatio
salutaris secuta est, Deo adiungente plures col-
legas Luthero, Philippum Melanchthonem
& alios. Illustrata est igitur doctrina de pec-
cato originis & malo reliquo in renatis: ta-
xata vanissima arrogantia Pelagiana, quam
cōfirmat doctrina Monachorum, quæ negat
dubitatem de prouidentia, de reconcilia-
tione & alias prauas inclinationes, & flam-
mas multarum pessimarum cupiditatum pec-

cata esse. Ostensum est, veram Ecclesiam non esse regnum Pontificium, sed cœtum amplectentem Euangelium Christi, nec affingente corruptelas: potestatē clavium non esse imperia mundi rapere, sed Euangelium docere, & Sacramēta ritē administrare, & rectē exercere iudicia Ecclesiastica: damnata est multiplex prophanatio cœnæ Domini, & vſus pius monstratus est, vt sciāt Ecclesiæ, quomodo ad cōfirmandam fidem sacramēto vtendum sit: dictū est de uno sacerdotio in Ecclesia, de discrimine veteris & noui Testamenti, de discrimine magistratum ciuilium & ministrorum Euangelij, de dignitate operum vocationis in Ecclesia, cōiugio, & vita ciuili, de impia audacia fingendi nouos cultus, qualis fuit & est eorum, qui humanas traditiones mordicūs retinent. Reiectus est impius & Ethnicus error inuocationis hominum mortuorum, & monstrata est vera inuocatio æterni Dei, facienda in fide Filij Dei: denique omnes articuli doctrinæ Ecclesiasticæ detersis sordibus priorum temporum, magis fulgere coeperunt.

Agamus igitur gratias Deo æterno Patri Domini nostri Iesu Christi, quod & antea sapè, & in hac tristis senecta mundi Euangelij lucem Ecclesiæ ministerio D. Lutheri & aliorum priorum Doctorū reddidit, & hoc tanto beneficio grati fruamur, & oreimus, vt pectora nostra Spiritu sancto accendat & regat, vt eum vera fide & veris officiis colamus, nec si nat extingui hanc luce, sed ut ob signat legem

in discipulis suis, quemadmodum Esaias inquit, id est, ut seruet in aliquorum mentibus & pectoribus tanquam obsignatam doctrinam, ne deleatur; & donet Ecclesiarum doctores, qui hanc puritatem propagare possint.

Abiiciamus ergo opera tenebrarum.)

Antea dixit de prima parte conuersionis, quę securitatem corrigit & emēdat, & afficitur aliquo sensu ira Dei aduersus peccatum. Nunc addit concionem de reliquis partibus, de fide & iustitia bonae conscientiae, & refutat errorem eorum, qui cūm audissent, fide homines iustos esse, postea fingebant, se iustos esse, etiamsi perseverarent in scortatione, adulteriis, & aliis sceleribus. Hic clarè affirmat, oportere sequi fructus & iustitiam bonae conscientiae.

Abiiciamus, inquit, opera tenebrarum, & induamus arma lucis, id est, conscientia eligat opera Deo placentia, hoc est, præcepta legie Dei, & vitet Deo displicantia. Postulat ergo iustitiam bonae conscientiae, de qua aliás inquit: Summa mandati est dilectio ex corde puro, & conscientia bona & fide non ficta. Estque testimonium huius loci adiungendum cæteris similibus, quæ extant: Corinth. 6 & Galat. 5, quæ adfirmant, perseverantes in delictis contra conscientiam, non esse hædes vita æternæ.

Non igitur amplectamur hunc errorem contumeliosum in Deum, blandientes nobis ipsis, quasi fide iusti simus, etiamsi postea persevere-

seueremus in delictis contra conscientiam: sed intelligamus & iustitiam fidei, & iustitiam bonæ conscientiæ, & suum cuique locum tribuamus, & sciamus vtramq; oportere in saluandis existere. Iustitia fidei accipit remissionem peccatorum & reconciliationem, & hæreditatem vitæ æternæ propter Christum, & fide placet persona propter Christum. Deinde necesse est etiam adesse iustitiam bonæ conscientiæ: quia Deus postulat talem obedientiam, & contristatur Spiritus sanctus delictis contra conscientiam. Et si quis perseuererat in his sine pœnitentia, de eo verissimum est, quod Iohannes inquit: Qui facit peccatum, ex diabolo est.

Qualis autem sit hæc inchoata obedientia, & quomodo placeat Deo in credentibus, alias prolixius dictum est. Nunc tantum commonefacio lectorem, ut hunc locum meminerit ad refutandum perniciosum errorem prophanorum hominum & Antinomorum, qui putant, fide accepta iustitia, postea concedi nobis ἀνομίαν, & indifferentiam omnium operum, aut negligentiam. Manet enim discriminem operum, & vult nos Deus ipsa fide accusos, iam non ociosos esse, sed habere electum operum, & aliquid agere quod ipsi placeat. Sitque coniuncta fidei diligentia nostra, imò in tanta nostra imbecillitate, & in tantis aboli insidiis opus est magna vigilancia, sicut Petrus ait: Vigilate, quoniam aduersarius vester circumit, querens quem deuoret.

Finis Epistole, die 14 Decemb. 1546.

DOMINICA SECVN-
DA ADVENTVS.

Epistola Roman. 15.

Fratres: Quaecunque prescripta sunt, in nostram doctrinā prescripta sunt ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. Deus autem patientia, & consolationis dedit vobis idem mutuò inter vos sentire secundum Iesum Christum, ut unanimiter uno ore glorificetis Deum, & Patrem Domini nostri Iesu Christi. Quapropter assumite vos inuicem, quemadmodum & Christus assumpit vos in gloriam Dei. Illud autem dico, Iesum Christum ministrum fuisse circumcisioṇi pro veritate Dei, ad confirmandas promissiones patrum, ut gentes pro misericordia glorificant Deum, sicut scriptum est: Propter hoc confitebor tibi in gentibus, & nomini tuo canam. Et rursum dicit: Gaudete gentes cum populo eius. Et rursum: Laudate Dominum omnes gentes, & collaudate eum omnes populi. Et rursum Esaias dicit: Erit radix lessē, & qui exurget ad imperandum gentibus, in eo gentes sperabunt. Deus autem spēi impletat vos omni gaudio & pace in credendo, in hoc, ut exubere-

exuberetis in spe per potentiam Spiritus sancti.

LOCI.

- I. De vsu libertatis in rebus necessariis.
- II. Qua causa sit, cur Deus vocem suam referri in literas per Prophetas & Apostolos voluerit.
- III. Devocatione gentium.

De primo Loco.

B Nitiò mos consideretur, quem acceptum à patribus, Ethnici etiam postea omissa vera doctrina retinuerunt. Cum in diebus festis sacrificium siebat, pars victimæ incendebatur: pars erat propria sacerdotum: pars communis patrifamilias, & cæteris qui victimas dederant: & erant multa peculiaria certarum familiarum sacrificia, in quibus cognati frequentes conueniebant, & ex loco sacro victimæ partes in suas domos afferebant, ut senex apud Aristophanem in Pluto victimæ partem domum affert. Aliqui etiam ad facella vñacum sacerdotibus conuiuabantur.

Credibile est autem aliquos, qui iam abiecerant cultum idolorum, tamen à cognatis ad conuiuia vocatos esse, & vix fieri potuit, quin mariti Ethnici conuiuio interesset vxoria.

In talibus casibus videmus Paulum aliquā ^{δικαια} vsum esse, ac permisso, vt proximi interessent non sacrificiis, sed conuiuiis. Ali-

qui

qui autem, ut fit, illam permissionem nimis laxabant, & victimarum carne vescebantur, malo exemplo, id est, inuitabant alios imbecillos, ut ipsi quoque vescerentur, quorum conscientiae postea turbabantur. Damnabant enim se se, quasi consuetudinem impiam confirmarent. Quandocunque autem conscientia se damnat, & iudicat se contra Deum facere, fides languebit, & impeditur invocatio.

Nunc igitur Paulus illam permissionem astringit, & hic tantum de scando cōcionatur: postea rursq; in genere astringit, quia quo modo excusat, tamen aliquid in exemplo mali est. Nam consuetudo colentium idola confirmatur. Sed hic nominatim sic mentio huius scandali, quod erudit iouebant imbecilliores, ut vescerentur, & horum postea sauciabantur conscientiae, ut varij casus nostro tempore acciderunt, vbi imitatione libertatis etiam in recte factis, imbecilliores conscientiae valde turbatae sunt.

Obiurgat igitur Paulus doctos sibi placentes, & audaces in rebus non necessariis, propter ostentationem suæ eruditionis & sapientiae, ac docet, necessaria facienda esse. In non necessariis verò, quæ adiaphora dicta sunt, eam moderationem seruandam esse, ne exempla nostra lēdant aliorum conscientias, aut labefactent communem concordiam, sicut regula Iurisconsultorum recte docet: Quod tibi non nocet, & alteri prodest, id præstatum est.

Iustum

Iustum est igitur , astringere libertatem propter aliorum salutem, vt in itinere faciendo robustus minus properat propter imbecilliores comites. Hæc regula, quæ monet, servandum esse discrimen inter necessaria & non necessaria, magnum usum habet in vniuersitate, & coherget multa vitia, ~~πολυπειρωτικη~~, arrogantiam , & alia. Hæc est summa primi loci, quam recensui.

De secundo Loco.

Laudo Phocylidem: Assentior leges Romanas honestè scriptas esse: Probo sinceram Philosophiam, videlicet doctrinam, quæ constat demonstrationibus ; non corruptelas admixtas ab aliquibus. Est enim vna quædam vera Philosophia, quæ suas metas habet. Hæc ipsa constituit hanc sententiam, esse Deum, nec occiditum esse, sed curare humana , quod monet sanos ipsa terræ fœcunditas, & ad hanc utilitatem distributæ vices temporum. Deinde cum & hoc constet, à Deo ortum esse in mentibus nostris discrimen virtutum & viciorum , agnoscit vera Philosophia Deo placere iustos, econtra, pollutos crudelitatem aut libidinibus displicere.

Sed cum videat in hac vita non semper præmia virtuti, & sceleribus poenas reddi, hic queritur, oculos mentemque densissimis tenebris & subita nocte opprimi, & flagitat aliud doctrinæ genus, in quo de immortalitate, deque futuro iudicio certa tradantur.

Præterea

Præterea, cùm agnoscat genus humatum conditum esse ad inuocandum & celebrandum Deum, & tamen iudicet non exaudiri à Deo indignos & contaminatos vitiis, magis etiam dubitat de voluntate Dei, cùm deprehendat in vniuersum omnes virtuosos esse. Quos igitur exaudit Deus? Quomodo placatur eius ira? an totum genus humanum ad extitum æternum nascitur?

Postremo, vnde sunt hæc in genere humano mala? vnde existit hæc non leuis sarcina vitiorum? vnde tam foedæ cupiditates repugnantes iudicio mentis? vnde tantum calumnitatum in hac vita? Cur, cùm cæteræ res, cœlum, terræ, plantæ, animantia suis quæque legibus obtemperent, solus homo à seipso disfideat? solus oppressus est tantis ærumnis, vt eas nullæ Tragediæ satis deplorare possint.

Cernit Philosophia hanc labē humani generis, sed nec vnde sint, nec quæ sint remedia ostédit. Est autem vna Ecclesiæ doctrina tradita inde vsque ab initio, & propagata certis testimoniiis & certa serie omnium temporum, mandata literis per Prophetas & Apostolos, quæ & causas horum malorum patefacit, & monstrat remedia: docet certò de voluntate Dei, placatam esse iram per unicum Filium, quem misit in terras: propter hunc Pontificem exaudiri inuocantes, iuuari & donari inenarrabili lætitia in vita perpetua.

Hæc arcana sapientia, longè posita extra conpectum humanæ rationis, discernenda est à

est à legibus ciuilium officiorum, & à Philosophia. Ideoque Apostoli suam doctrinam Euangelium vocarunt, ut nominis nouitas de discrimine auditores admoneat.

Quare cùm Philosophia fateatur suas tenebras: & tamen agnoscat, aliqua certa doctrina opus esse, de immortalitate hominū, de Deo plācando, de inuocatione Dei de presentia Dei in omnibus ærumnis, de vita æterna; hanc doctrinam Propheticā & Apostolicā amplectamur, quæ sola res tantas tradit & patefacit: Sola ostendit causas humanæ infirmitatis: Sola adfirmat vitam reliquā esse, postquam hinc discesserimus: Sola de futuro iudicio totius generis humani certò concionatur, ac certos testes nominat, qui spectatores fuerunt multorum, qui mortui reuixerunt. Sola adfirmat, iram Dei placatam esse, & docet quomodo Deus inuocandus sit. Sola proponit consolationem firmam in ærumnis, & causas indicat, cur boni & Ecclesia in hac vita ingentibus ærumnis conflictentur. Harum rerum cognitionem necessariam esse fatendum est, præsertim cùm philosophia toties deploret humanam caliginem, & aliud genus doctrinæ desideret.

Hactenus ex doctrinarum generibus gravissimè ostensum est, necessariam, veram & salutarem esse Ecclesiæ doctrinam & consolationem: sed multò etiam magis mirandum est, quod Paulus inquit; Nos spem habere ex consolatione scripturarum. An spes nititur literis, & his scriptis monumentis? Anabaptistæ quidem

quidem absurdissimam esse hanc vocem diccerent, sed magno cōsilio sic loquitur Paulus.

Spes nititur ipso æterno Deo, sed alligatus Paulus ad hunc Deum, qui se in voce patetfecit, quam referri in literas per Prophetas & Apostolos voluit, ut testimonia semper extarent. In his cognosci arcanam voluntatem de reconciliatione voluit, quæ non deprehendi potuit humani ingenij sagacitate. Denique multæ causæ sunt, cur Deus ad hæc testimonia nos alligarit. Quoties igitur precationem mens inchoat, & querit Deum, non modò cœlum & hoc opificium Mundi cogitet, sed simul etiam dicta Euangelij sibi proponat: intueamur Filium Dei, qui se nobis patefecit, qui edidit promissiones de reconciliatione, ac dicat.

Te externe, omnipotens, & vere Deus, æterne Pater Domini nostri Iesu Christi, inuoco, qui te patefecisti immensa bonitate, & clamaisti de filio tuo Domino nostro Iesu Christo, & Spiritu sancto, miserere mei propter Iesum Christum Filium tuum, quem voluisti pro nobis esse victimam, rege, iuuia, renouame Spiritu sancto tuo, rege & serua Ecclesiam tuam, & politias, quæ præbent hospitia ærumnosis Ecclesiis.

Talis forma discernit precationem Christianam ab Ethnica, Iudaica ac Turcica, ac necesse est hoc discrimen intelligi, proponi, & assiduè inculcari.

Postremò, discrimen traditur inter patientiam

tiam Philosophicam & Christianam. Philosophica est qualiscunque moderatio doloris, quæ præstat obedientiam rationi, ne illicitis modis liberare nos conemur, ut Cato sibi iustè mortem consciuit, & sàpe omni spe auxiliij destituta est.

At Christiana patientia est moderatio doloris, quæ præstat Deo obedientiam, cogitatis causis afflictionum, nec irascitur Deo, nec illicitam liberationem quærit: & semper ad hanc obedientiam accedere necesse est fidem, quæ statuat, nos non abiectos esse à Deo propter afflictiones, sed recipi nos propter Christum: Inuocat item Deum, & sperat auxilium.

Sic latro in cruce in summa animi æquitate tolerat supplicium, agnoscit delictum suum, & catusam poenæ, & scit Deum postulare hanc obedientiam, & expectat nouum Messias regnum in paradyso. Longè igitur superat sapientia & virtutibus non solùm Phariseos & Philosophos, sed etiam Apostolos. Spero ex his, quæ dixi, non esse obscuram Pauli sententiam, cum ait: Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam & consolationem scripta sunt, ut per patientiam scripturarum spem habeamus.

Detertio Loco.

Si villa res prodest ad consolandas mentes, ne frangantur desperatione, eam vim maximè habet doctrina de vocatione gentium, in qua proponitur euidens atque illustre testi-

monium immense atque inenarrabilis misericordia Dei recipientis idolatras, & aliis terribilis flagitiis contaminatos.

Semper magna pars hominum prorsus est impia, sed eo tempore, quo Apostoli in mundo spargebant Euangelium, palam multi docebant, nullae esse prouidentiam, reliqua multitudo horribiliter colebat idola, & alij alia quotidie excogitabant. Deinde contra secundam tabulam non solum visitatæ, sed etiam concessæ erant vagæ libidines multiplices. Concubitus seu mariti, seu cælibis cum ea quæ pudicitiam suam prostituerat, prorsus non reprehendebatur. Imò in Plauti Comœdiis patres & filij easdem amant, plurimi palam impunè etiam sexu abutebantur. De qua turpitudine etiam si vetustas kabuerat se ueras leges, tamen illæ iam in Græcia, Asia, & Italia multis seculis conticuerant. Contra quintum præceptum recepta erat gladiatorum consuetudo. Contra septimum præceptum concessæ palam erant usuræ. Sed illi furores contra primum & sextum præceptum, multò latius gravabantur, & magis terti sunt.

Talis cum esset mundus, tamen Deus ex illa turpissima colluie, immensa misericordia Ecclesiam colligit, quod exemplum content et amplissimam consolationem, quam & hic Paulus proponit, cum ait: In illa die stabit radix Iesse, ut sic vexillum populis, in eo gentes sperabunt. Quæ verba meminisse valde prodest & propter consolationem & propter doctrinam,

doctrinam, quia de iustificatione eruditè loquuntur, & adfirmant nos receptos esse propter Christum, & donatos Spiritu sancto. Hæc amplitudo bonitatis Dei omnium primum consideretur in concionibus Propheticis & Apostolicis, quæ loquuntur de gentium vocatione.

Secundò, hæc ipsa collectio Ecclesiæ testatur, promissionem Euangelij & vniuersalem esse, & gratuitam. Quia non tantum Iudæi consequuntur beneficia Christi, sed omnes homines qui audiunt, discunt & amplectuntur vocem Euangelij, sicut hæredes vitæ æternæ, & donantur Spiritu sancto. Sic Ioël cap. 2 clare inquit: Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, & omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit.

Deinde cùm gentes vocentur ad agnitionem Dei, & societatem vitæ coelestis, perspicuum est, exclusam esse conditionem meritorum, & gratis donari credentibus remissionem peccatorū, & alia bona propter solum Filium Dei, qui factus est pro nobis victima, Mediator, & deprecator. Quæ enim merita, quam dignitatem homines Ethnici ad Deum afferunt? Imò sunt turpisimi idolorum cultores, homicidæ, adulteti, & aliis nefariis libidinitatibus contaminati. Quare in his concionibus semper complectamur præcipuam doctrinam Euangelij de gratuita reconciliatione, cuius insigne exemplum ac testimonium est gentium vocatio.

Postremò dicta de vocatione gentium re-
 &tè significant legis abrogationem, & simul
 refutant falsas persuasions de regno politico
 Messia. Nam si omnes gétes sacerdotio fungē-
 rentur, vt Ioël. 2 & Zachar. 14 scribitur, procul-
 dubio cessaturum est ministeriū Leuiticum,
 quod alligabat homines ad certum locum.
 Deinde manifestum est, politiam Israëlinibil
 profuisse cæteris gentibus. Quare benedictio
 toti generi humano promissa propter Chri-
 stum, non est instauratio politiæ Mosaicæ, vt
 falsò Iudæi somniant, sed est cœlestis ac spiri-
 tualis benedictio, id est remissio peccatorum,
 donatio Spiritus sancti & vitæ æternæ. Hæc
 tria semper nobis in mentem veniant, quoti-
 es legimus vel audimus dicta Prophetarum
 & Apostolorum de yniuersali gentium voca-
 tione.

Finis Epistolæ die 20 Decemb. Anno 1546.

DOMINICA TERTIA ADVENTVS.

Epistola i Corinth. 4.

Fratres: Sic nos aestimet homo, vt mini-
 stros Christi, & dispensatores mysterio-
 rum Dei. Quod superest autem, illud requi-
 ritur in dispensatoribus, vt fidus aliquis re-
 periatur. Mihi verò prominimo est, vt à vo-
 bis

bis dijudicer, aut ab humano iudicio: imò nec meipsum dijudico. Nullius enim rei mihi conscius sum, sed non per hoc iustificatus sum. Ceterum qui me iudicat, Dominus est. Proinde ne ante tempus quicquam iudicetis, donec venerit Dominus, qui & illustraturus est occulta tenebrarum, & patefaciet consilia cordium, actum claus erit unicuique à Deo.

L O C I.

- I. *De officio ministrorum Euangely.*
- II. *Doctrina de Iustificatione.*
- III. *De vniuersali iudicio omnium hominum.*

De primo Loco.

Postquam antea omnes in genere obligauit humanam sapientiam sequentes, ac discedentes à meta Euangelij: nunc nominatim ministris concionatur, & eos, quod ad ministerium attinet, facit & quales potestate & efficacia, & simul docet, quales esse oporteat. Ac breuiter hic significat, ministerium esse efficax per Christum, non humanis viribus, sed minister fidelis, id est, rectè intelligat & doceat doctrinam, non habeat affectatam ignorantiam, nec sit negligens, ut multis seculis Episcopi fuere in toto orbe terrarum, nec intellexerunt doctrinam, nec doceri rectè curauerunt.

Ex qua negligentia præcipue nunc existit
hæc horrenda perturbatio orbis terrarum.

Proponitur autem hic regula necessaria ad
gubernandas omnium conscientias in vita
priuata, & quacunque administratione. Quæ-
rit enim conscientia, quomodo satisfaciam
officio meo, cum difficultas sit maxima, &
multa quæ erant facienda, prospici non pos-
sint, & sapè bonis consiliis non respondeant
euentus? Sicut errat Iosias mouens bellum
infelix.

Consolatio hic dulcissima proponitur, sa-
tis est, esse fidelem, id est, bona conscientia re-
ctè docere & facere, quæ vera esse iudicas. Ac-
cedat autem fides, qua sumus iusti, id est, qua
persona placet, & petamus, ut Deus nos gu-
bernet. Hæc regula præluceat omnibus vitæ
actionibus. Ut autem hæc ars vitæ intelliga-
tur & exerceatur, vtrâque virtute opus est.
Timor obediatur, & fides intuens Deum statu-
at nos iuuari & regi à Deo, & petat ac expectet
bonos euentus, quos quidem Paulus promit-
tit 1 Corinth. 15. Labor vester non erit inanis
in Domino. Ac in talibus exercitiis lux fidei
in omni vita crescere debet.

Etsi autem in omnibus sanctis manent
multa ignorantia & omissionis peccata, vt in
Apostolis ante Pentecosten multa erant, ta-
men sicut in vocatione voluntas seu studium re-
ctè faciendi, & pleraque rectè faciamus. Hunc
gradum constituit Paulus. Primum fatetur
2 Corinth. 3, humanas vires non esse pares mi-
nisterio

nisterio Euangelij. Non sumus, inquit, idonei, per nos ipsos cogitare aliquid, scilicet de explicatione doctrinæ, aut consiliorum felicium in gubernatione, aut sententiarum in dijudicandis controversiis. Etsi omnes neruos adhibeant prudentia & circumspetionis etiam sapientissimi in qualibet vel exigua functione: tamen s̄pē hallucinari experiuntur. Paterfamilias s̄pē malè cauet liberis præter opinionem. Sed 1 Corinth. 4 inquit, hoc flagitaturia ministris, ut sint fideles, id est, habent voluntatem fidem recta faciendi, non indulgentia ignauia, sed discant, laborent mediocriter, & faciant non aliena, sed sui munera opera. Nam sedulitas fugit ytrunque vitium, ignauiam & πολυπεγμονικού. Desinant igitur indecti quidam & πολυπεγμονικοὶ alterum pedem in curia, & alterum in castris habere, ut de Cleone dicebatur, id est, non moveant tumultus in ciuitatibus de negotiis ciuilibus, alienis à ministerio Euangelico.

Hæc de officio ministrorum in Ecclesia etsi breuiter hoc loco dicta sunt, tamen s̄pē sunt repetenda: Quia multi fungentes officio & munere docendi Euangelium, tranquillitatem Ecclesiæ, ambitione, πολυπεγμονικo & alijs vitiiosis affectibus turbant, adducunt imbecilles in dubitationem.

De secundo Loco.

Multi à nobis quereresolent, an probanda sit fiducia bonæ conscientiæ? Facilis explica-

tio est sententiam Paulinam considerantⁱ
 1 Corinth. 4. Nihil mihi conscient sum, sed in
 hoc non iustificatus sum. Alia est iustitia per-
 sonæ, qua homo coram Deo reputatur iustus.
 Hæc imputatio tantum fide accipitur, nec op-
 ponuntur nostræ virtutes aut benefacta iudi-
 cio Dei. Nam & in renatis multa reliqua sunt
 peccata ignorantiae & omissionis, & multi vi-
 tiosi affectus, quæ mala condonantur creden-
 ti propter Mediatorem. Recte igitur à Moysé
 dictum est Exod. 34. Nemo coram te est in-
 nocens. Et Psalmus inquit: Non intres in iu-
 dicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur
 in conspectu tuo omnis viuens.

Cum autem hac iustitia personæ donati su-
 mus, necesse est adesse & alteram iustitiam,
 bona & conscientia seu operum. Non indulge-
 amus vlli cupiditati contra conscientiam. Et
 hæc iustitia bona & conscientia placet Deo in
 reconciliatis, sicut Paulus inquit: Gloriano-
 stra est testimonium conscientia nostræ. Et
 Roman. 14. Qui in his seruit Christo, placet
 Deo, & probatus est hominibus.

Detertio Loco.

Etsi constituit Philosophia hanc sententiā,
 à Deo ortum esse in mentibus nostris discri-
 men honestorum & turpium, & simul agno-
 scit, Deo placere iustos: & cōtrà, pollutos periū
 riis, crudelitate, aut libidinibus displicere: Ta-
 men cum videat in hac vita, nō semper virtuti
 præmia

præmia , & sceleribus poenas reddi , queritur ,
 oculos mentemque desissimis tenebris & su-
 bita nocte opprimi , & flagitat aliud genus
 doctrinæ , in quo de immortalitate , deque fu-
 turo iudicio certa tradantur . Quare cùm Phi-
 losophia fateatur suas tenebras , & tamen a-
 gnoscat , aliqua certa doctrina opus esse , de im-
 mortalitate hominum , & de vita æterna ; toto
 pectore amplectenda est Ecclesiæ doctrina
 tradita inde usque ab initio , & propagata cer-
 tis testimoniiis , & certa serie omnium tempo-
 rum mandata literis per Prophetas & Aposto-
 los , quæ sola adfirmat , vitam reliquam esse
 postquam hinc discesserimus , sola de futuro
 iudicio totius generis humani concionatur ,
 vt in prima concione ad Cain : Peccatum qui-
 escer donec reuelabitur .

Cùm autem hæc concio ad omnes homi-
 nes pertineat , & aliqua sclera in hac vita non
 puniantur , necesse est aliud iudicium restare ,
 in quo retegentur omnium impiorum men-
 tes , omnia mala consilia & facta proferentur ,
 & damnati in æternos cruciatus abiicientur .
 Id malum , quia infinitum est , nec leue , nec ex-
 iguum ducatur .

In exordio Mundi Enoch , deinde Helias
 adhuc induiti corporibus viui discesserunt ad
 Deum , vt testarentur hunc unum Deum , de
 quo populos docebant , autorem esse vitæ im-
 mortalitatis , & hominum facta iudicaturum . Po-
 stea multi à Prophetis , Christo & Apostolis
 mortui in vitam reuocati sunt , vt eadem do-
 cerent .

Ac profectò mirum est, cùm hæc sententia
diuinitùs multis dictis & exemplis confirma-
ta sit, tamen stuporem esse tantum in animis
hominum, vt non satis adsentiantur, non præ-
parent se ad iudicium futurum, non expau-
scant cogitatione æternarum pœnarum. Qua-
re bonæ mentes sese exuscitent, intuentes in
illa perspicua testimonia Enoch, Helix, Chri-
sti, & comitum eius, qui vnâ reuixerunt, &
ita vitam instituant, ne tanquam hostes Dei
post hanc vitam abiificantur in scelerorum
sedem atque regionem.

*Finis Epistole, Anno à natali Christi 1547.
die Stephani.*

DOMINICA QVARTA ADVENTVS.

Epistola Philip. 4.

Fratres: Gaudete in Domino semper, & i-
terum dico gaudete. Modestia vestra no-
ta sit omnibus hominibus. Dominus propè
est. De nullare solliciti sitis, sed in omni pre-
catione & obsecratione, cum gratiarum a-
ctione, petitiones vestre innoescant apud
Deum. Et pax Dei, qua superat omnem in-
tellectum, custodiat corda vestra, & sensus
vestros per Christum Iesum.

L O C I.

I. De Gaudio piorum.

II. De

- II. De *Ecclesiasticis*.
 III. *Duplex est sollicitudo, alia ex diffidentia, alia ex
obscundae vocationis diligentia.*
 IIII. *Doctrina de virtutum omnium regina, hoc est,
de Invocatione Dei.*
 V. *De pace & tranquillitate animorum.*

De primo Loco.

 *Vemadmodum angeli nato Christo canunt: Gloria in excelsis Deo, in terra pax, & hominibus l&atitiae: Ita Paulus hoc in loco describit gaudium piorum, quod oritur ex agnitione misericordie, beneficiorum & pr&sentie Dei curantis & recipientis nos propter Filium. Nam fides acquiescens in promissione, & expectans auxilium & mitigationem, sentit latitiam inenarrabilem. Deinde cum euentus ostendunt mitigari mala, magis latatur cor, & statuit preces exaudiri, Deum adesse & respicere nos. Ita crescit gaudium, de quo hic Paulus concionatur, in corde. Verum ex Antithesi res melius intelligitur.*

Saul humanis consolationibus se sustentat, videt adhuc se viribus antecellere, & esse in possessione regni, & habere filium bene meritum. Ratiocinatur igitur Dauidem facile excludi posse. Sed haec humanae consolations tandem eum destituant. At Dauid pulsus in exilium, ac destitutus omnibus humanae pr&sidiis, retinet hanc firmam consolacionem

nem, scit se habere remissionem peccatorum, scit se habere Deum propitium, & in Deo acquiescit, scit se non peritum esse. Hæc consolatio in lucta ingenti firma est, & parit latitudinem inenarrabilem.

Addam declarandæ Antithesis causa versum Vergilij: Námque ut separam falsa inter gaudia noctem Egerimus, nosti. Hic versiculus imaginem continet totius vitæ impiorum, & omnium solitorum, quæ expetunt. Totu[m] vita nox est plena tenebrarum, id est, ignoratio[nis] veri Dei, & permanentium bonorum. Quærunt autem falsa gaudia, id est, solatia, quæ in magnis & veris doloribus nō possunt recreare animos. Pompeio victo non leniunt dolorem ullæ voluptates, aut ullæ spes auxiliorum, & si quas habet spes, citò euanscunt: Econtra cùm vrbs Hierosolyma ab ingenti exercitu circundata est, qui antea decem tribus vicerat & dissipauerat, tamen Ezechias retinet firmam consolationem: scit Deum futurum esse Ecclesiæ suæ, & in hac consolatiōne acquiescit, non habet falsa & fugacia gaudia. Piis, qui fidei exercitia in invocatione intelligunt, hæc Antithesis non est obscura.

De secundo Loco.

Multi sunt viri graues & eruditi, præstantes virtute, qui cùm legunt Pauli dictum: *éneia vestra sit nota omnibus, offenduntur absurditate, & hanc vocem execrantur tanquam corru-*

corruptelam bonorum morum, & disciplinæ laxationem. Ita enim censem, itaq; differunt, si toleranda est infirmitas , si tegenda sunt errata, cur imperiis mandatum est, vt puniant delicta: cur seuerè præcipitur Ecclesiæ, vt sua iurisdictione contumaces ex Ecclesia eiiciat: denique cur singulis mandatum est, vt vitent peccatores tanquam Ethnicoꝝ, vt Christus ait: Sit tibi velut Ethnicus?

Respondeo: Differunt politica gubernatio & Ecclesiastica, & tamen vtraque certum ordinem obseruare debet, & gradus delictorum discernere. Politica non est salutis æternæ ministerium, sed pars legis: ideo punit delicta manifesta, etiam si nulla præcedit admonitio. Sed Ecclesiastica iurisdictio, quia pars est Euangelij , primùm eos qui delinquunt vocat ad pœnitentiam, & offert reconciliatiōnem resipiscētibus. Ita est ministerium salutis æternæ. Sed si delictum est manifestum, & post admonitionem sequitur contumacia, tūm demùm præcipit Euangelium de pœna inchoanda, videlicet de excommunicatione. Hic ordo in manifestis delictis , quæ lex Dei iubet puniri, seruandus est.

Idem sentiendum est de castigatione fraterna, nec cōcio Pauli de ὀμιλεῖα pugnat cum iure Magistratum, aut Ecclesiastica iurisdictione, aut fraterna admonitione. Habet suum locum iustitiae seueritas , vt iam dictum est, & hæc exercetur à piis, non violata dilectione. Sed vicina virtus est Aeqitas seu ὀμιλεῖα,

q[uod]

quæ habet locum in tribus gradibus, in toleranda infirmitate, quam leges non puniunt, in arcans delictis tegendis, & in sanandis manifestis ante contumaciam. Hi tres gradus in vitalitate patent, & nunquam dilectioni defunt occasiones in his declarandæ lenitatis & æquitatis.

Primus gradus est, tolerare morosos, suspicaces, iracundos, segnes, inuidos, audios, glos-
trix, & grè ferentes, si se negligi putant, ~~τόπον~~
~~ωρίγλυπτας~~, attentiores ad rem, quām opus est.
Hæc pariunt tumultus, si desit cœnebra colle-
gis. Sic David tñlit æmulationem in Saule.

Secundus gradus: Ambigua facta non ca-
lumniosè in deteriore partem flestere, nec
leuia facta odiosè amplificare, nec arcana tra-
ducere, sed tegere & sanare. His occasionibus
homines maleuoli sæpe atroces & tragicos tu-
multus excitant. Sic Pharisæi accusant Apo-
stolos, in sabbatho vellentes spicas. Sic in Ec-
clesia ingentes motus orti sunt propter cere-
monias. Media facta multi depravarunt a-
cerbis interpretationibus.

Episcopus Romanus excommunicauit a-
liquos in oriente, quod nollent Pascha eodem
die seruare, quo seruabat occidens. Et nunc
magno sunt lites de ceremoniis. Aliqui da-
mnant latinè canentes in templis: prætexi-
tur aliqua ratio, sed animi certant ambitione,
æmulatione, cupiditate vindictæ, & aliis pra-
uis affectibus, & ex leui oratione imuidus ar-
ripit occasionem premendi eum cui inuidet.

Venunt nostras Ecclesias propter aliqua leuiaria virulentissimè traducunt hypocrita, festucam in alieno oculo culpantes, cùm trahent in suo negligant.

Tertius gradus: Ante contumaciam candide & amanter admonere errantem & peccantem, & hoc officio reuocare eum in viam: Vt Petrum reuocat Paulus in viam, & Christus blandissimè recipit agentes poenitentiam, vt mulierem peccatricem, Zacchæum, & alios.

In his tribus gradibus regnat æquitas seu *δικαια*: sed severitas seu iustitia rigor, ut vocant, aduersus contumaces in delictis manifestis seruandus est, idque iudicium non est hominis, sed Dei. Quare magistratus seu index Ecclesiasticus, quia non suæ cupiditati, sed mandato Dei obtemperat, tamen retinet dilectionem, cùm rectè officium facit. Hæc generalis distinctio teneatur de severitate & æquitate, quoties illa præcepta occurserunt, quæ videntur dissidere aliquo modo, quorum aliqua iubent ignoscere: Vt, remittente & remittetur vobis. Item, *δικαια* vestra sit nota omnibus. Alia de poena concionantur, vt 1 Corinths. 5. Auferte malum de medio vestri, &c.

Tertius Locus.

Duplex est solicitude, vna quæ est diligenter obsevanda vocationis, seu deliberatio de fine &

ne & de mediis, & quædam voluntatis contentio & cōstantia in fugiendis viciis, quæ opposita sunt fidelitati, ignauia & πολυπεγμόσιν, orta ex variis causis, ex natura inquieta, ex pertinacia, ex ambitione, ex auaritia, ex cupiditate dominandi, ex æmulatione, & similibus morbis.

Paulo meta proposita est, ut doctrina pura propagetur propter gloriam Dei, & ut ipse salvus fiat. Ad hunc finem eligit media, sustinet labores docendi, inuitat bonis exemplis auditores, cōfirmat dociles, tolerat rudiores, frenat omnes cupiditates, ne aut doctrinam deforment, aut turbent Ecclesiam, aut Deum offendant. Hæc solicitude, quæ est prudentia in prospiciendo fine & mediis ad finem, & intentio animi in mediis illis parandis aut tuendis, necessaria est, nec prohibetur à Paulo, cùm ait: *Nesitis solliciti.*

Alia autem solicitude, de qua hīc Paulus concionatur, est animi trepidatio, vana confilia regularia & irregularia quærentis, sicut Reges Iuda ab Ægyptiis, ab Assyriis, à Syriacis regibus auxilia petebant. Et hoc tempore multiplicia fœdera fiunt: alij Turcos, alij alios sibi adiungere conantur. Hæ trepidationes oriuntur à diffidentia animorum; qui, quia non cernunt Dei præsentiam, quærunt humana præsidia seu concessa seu inconcessa.

Etsi autem homines ignari doctrinæ fidei iudicant hanc diligentiam magnam sapientiam esse: (Quia ut rectum est in via comites contra

contra latrocinia habere: ita cogitat ratio iustum esse , quāplurimos & firmissimos focios ad pericula propulsānda deuinctos habere, vt dicit Euripides: μιᾶς γδ̄ χειρὸς ἀδερν̄ς οὐ μάχο) tamen doctrinā fidei aliter iudicat, primum videt, quam causam sustineat, vt hoc tempore Principes harum regionum propter Euangelij confessionem sunt in periculo.

Hic causam recte intelligere studeant, & scient, veram , necessariam & salutarem doctrinem non esse abiiciendam. Hanc igitur fidem litter retineant, & non mutent : postea si quavis aduersus nos suscipitur, primum petant & expectent à Deo consilia & defensionem , deinde cogitent, quibus humanis præfidiis utrum rectum sit, quorum coniunctio fugienda sit. Ut tantur mediocribus copiis hominum devra doctrina consentientium , & Deum cum ipsis recte inuocantium , non misceant blasphemos, nō attrahant Turcos aut similes: sed sciant, adesse Deum in acie, ac præcipuum dum ac propugnatorē esse. Hac fide dimicent cum opus est , freti auxilio Dei , & non sint ignavi aut segnes , faciant necessaria , & non moueant nō necessaria inani πολυπειρωσίαι, multas iniurias ferant ac dissimulent, quæ sine impietate dissimulari possunt. De hac fide & arcana sapientia piorum concionatur Paulus, quæ in quotidianis periculis discenda est, & ipsa fidei exercitia monstrabunt discrimen humanæ πολυπειρωσίαι, & huius fidei.

Quartus Locus.

Laudanda est Philosophorum diligentia, qui de singulis virtutibus tam accuratè, quantum in Philosophia fieri potuit, scripsérunt. Dolendum est autem in Ecclesia, de virtute omnium maxima, de inuocatione Dei non collectam esse simili diligentia doctrinam à Deo traditam in præceptis & promissionibus, quæ extant in scriptis Prophetarū & Apostolorum.

Laudatur temperantia, & est virtus digna laude: laudatur clementia in gubernatoribus, quæ sæpe salutaris est in magnis Imperiis. De his & aliis vulgaribus virtutibus extat doctrina Philosophorū luculentè scripta. At de virtute omnium regina, de agnitione & inuocatione Dei, quām pauca, leuia & frigida scripta inueniuntur! pauci intelligunt esse virtutem.

Alij putant doctrinam facilem esse & notam omnibus, quia naturaliter omnes destinati ope, & amilio hoc visibili auxilio, quartus, an sit Deus qui velit opitulari hominibus, & in hac disputatione plurimi quoquomodo inuocant, nō cogitantes quis sit Deus, quomodo se patescerit, quid mandauerit de inuocatione, quid promiserit, quomodo sit placatus, quis sit Mediator, an & cur velit exaudire, quas res nominatim promiserit, in quibus rebus requirat obedientiam nostram, & tamen mitigationem promiserit.

Apud Euripidem Hecuba dubitans quid sit Deus, sic inuocat: O Iupiter, quisquis es, diffi-

difficilis cognitu, qui terram regis, siue necesse sitate naturæ, siue consilio. Hæc dubitatio communis est omnium qui ignorant Euangelium. Aut Stoica imaginatione tenentur, Deum sine libero consilio sic agere necessariò, ut mouent causæ secundæ: aut si liberè agit, curare quædam magna, non curare particula-ria, ut idem Euripides ait. Postremò ut maxi-mè curet particularia, tamen non exaudire in-dignos.

Hæc opiniones obstrepunt animis omni-um in inuocatione, nec eluctantur ex his er-roribus Ethnici, Mahometistæ, Iudæi, & alij ignorantes Euangelium. Sed fides, agnito Euangeliō, eluctatur, & statuit certò, quis sit Deus, nempe is, qui se patefecit verbis suo, & misso Filio, & additis mirandis testimoniis: Et quod sit agens liberrium, quod dederit mandata & promissiones, & proposuerit Fi-lium Mediatorem, propter quem certò velit exaudire, & quod expresserit nominatim quas res certò datus sit, & in quibus requiri-rat obedientiam, quas tamen mitigaturus sit.

Vt igitur nos ad inuocationem incitemus, & recte inuocemus, & discernamus nostram precationem ab Ethnica, Turcica, Iudaica, breuiter colligam, quæ hoc loco cogitanda sunt. Ac de singulis partibus considerandum est verbum Dei, quia tantum cogitatione verbi Dei ad Deum acceditur, iuxta illud Rom. 10. Nedixeris in corde tuo, quis ascendet in

coelum, sed propè est verbum in ore tuo, & in corde tuo.

Primum igitur inuocanti verbum quærendum est, ostendens quis sit Deus. Non inuoces, vt Hecuba apud Euripidem ignara quis sit Deus, an sit ordo naturæ alligatus ad causas secundas, an verò agens liberum. Non inuoces ut Turci & Iudei, contumelia afficienes Filium, & nescientes Mediatorem: sed verbam Dei tibi proponas, quod certò testatur, hunc esse verè Deum, omnipotentem, conditorem omnium creaturarum, & conseruatorum, qui se patefecit hoc verbo, & additis testimoniis à principio mundi, & missio Filio crucifixo pro nobis, & resuscitato. Et cum cogitamus, quomodo se pateficerit, in cōpellatione fiat mentio personarum, ut patefactæ sunt, ut postea dicam.

Secundò, postquam, quis sit Deus, cogitatum est, & seiunxisti te ab Ethnicis, Turcis & Iudeis, mandatum eius de inuocatione considera. Magna res est, accedere ad Deum, ac pertere ab eo non solum ea, quæ dat communis cursu naturæ, sed etiam alia, ut præter communem cursum in nostris erratis & ærumnis nos liberet. Deterret autem nos indignitas nostra, præsertim cum sciamus, Deum iustum esse, & irasci peccatis. Sciamus autem nos multis peccatis pollutos esse. Hic igitur opus est verbo Dei, testificante de voluntate eius, quod iubeat se inuocari, & velit exaudire, recipere, iuuare inuocantes, quanquam indi-

gnos

gnos & pollutos peccatis. Quare diligenter colligamus & mandata & promissiones. Ut Matth. 7. Petite & dabitur vobis. 1. Thessal. 5. Semper gaudete, incessanter orate, in omnibus gratias agite. Hæc enim est voluntas Dei in Christo Iesu erga vos. Philip. 4. Non sitis solicii, sed in omni precatione ac petitione cum gratiarum actione petitiones vestræ ad Deum notæ fiant.

Adiungantur & promissiones, quarum præcipua est & fundamentum inuocationis de quacunque, promissio remissionis peccatorum. Nam etiam cùm mandata cogitamus, tamen hæc vox nos absterret: Peccatores Deus non exaudit. Hic igitur ante cæteras promissiones nobis proponamus doctrinam de remissione. Sciamus omnibus agentibus penitentiam certò remitti peccata propter Christum Mediatorem, non propter nostram dignitatem, accipi verè remissionem peccatorum fide, vt clarissimè traditur in multis Euangelij locis. Et ad Rom. 3 summa eius sententia ponitur: Testificamur gratis gratia ipsius per redemtionem in Christo Iesu, quem posuit Deus propiciatorem per fidem in sanguine ipsius.

Hanc fidem in omni inuocatione prælucere portet, quod propter Filium Mediatorem recipiamur, exaudiatur & iuuemur. Cùmque hac fide remissionem peccatorum nos accipere statuimus, hic primùm dulcescunt mandata & cæteræ promissiones de particu-

laribus beneficiis: Iohann. 15. Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Iubet peti in nomine suo, id est, se nominato, se inuocato tanquam Mediatore, propter quem certò recipimus & exaudimur, vt Heb. 4 dicitur: Habentes Pontificem Iesum, accedamus cum fiducia ad thronum gratiae. Sic igitur opponamus indignitati nostrae mandata & promissiones. Etiamsi sumus indigni, tamen mandanti Deo obtemperandum est. Et quanquam sumus rei, tamen donatus est nobis popiciator, & promittenti Deo credendum est, nec accusandus est Deus mendacij.

Accedamus igitur ad eum, & petamus remissionem peccatorum, Spiritum sanctum, necessaria Ecclesiae, politicæ gubernationi, & nobis priuatim. De Spiritu sancto nomen dictum est Luc. 11. Dabit Spiritum sanctum potentibus. De aliis liberationibus etiam perspicuae & multæ promissiones traditæ sunt: Psalm. 33. Propè est Dominus his, qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu salubrit. Et eodem Psalmo: Non est in opia timenteribus eum. Et Christus inquit: Primum quæsite regnum Dei, & cætera adiicientur vobis. Et 1 Timoth. 4. Pietas promissiones habet præsentis & futuræ vitæ.

Talia dicta multa in conspectu sint, & saepe cogitentur animo, vt nos ad inuocationem exuscitent: Aliqua etiam inter precandum quotidie attentionem & fidem excitant in nobis. Certè semper, quoties precationem inchoa-

inchoamus, cogitandum est, quem Deum invoces, an ille indignum exaudiat, & indignati opponenda sunt mandata & promissiones, & præcipue amplectenda est promissio remissionis peccatorum.

Denique etiam res petenda cogitetur. Non enim sit oratio inanis ταυτολογία, sed res spirituales & corporales, necessariæ communi & priuatae saluti petantur. Ideo enim plerunque friget oratio, quia non expectamus illa beneficia à Deo, nec ardet in corde hæc lux & fides, quod Deus verè aliquid nobiscum agat, det Spiritum sanctum, regat, iuuet, defendat nos, det nobis victum, sed mentes sunt oppressæ dubitatione, nec possunt se erigere, ut res illæ verè statuant à Deo dari.

Cum hac nostra dubitatione præcipue pugnandum est. Nitimus nostris consiliis & commodis visibilibus, & præfidiis humanis. Hæc cùm sunt in conspectu, nihil admodum serio petitur à Deo. Cùm hæc eripiuntut, incipimus angi, & dubitare, an Deo curæ simus, an respiciamur & iuuemur.

Quare discamus agnoscere imbecillitatem nostram, quod nobis opus sit gubernatione Spiritus sancti, & quod Deus verè velit eum largiri inuocantibus: discamus & commoda corporis, victum & defensionem, successus in vocatione, cùm adsunt, esse Dei dona, & petamus, vt Deus ea nobis non eripi sinat, & cùm eripiuntur, petamus à Deo, vt sua mirabili bonitate nobis alter prospiciat.

*Quintus & postremus.
Locus.*

Pax hoc loco significat, ut s̄pē aliās, tranquillitatem & gaudium mentis ortum à duabus causis: Quia videlicet mens intelligit, Deo in illis ærumnis obediendum esse, & prospicit exitum, id est, scit Deum nobis adesse, iam nunc opem ferre, mitigare calamitates, & tandem daturum placidos exitus. Easierius intelligetur ex collatione. Demosthenes, Cicero, & similes magna pericula sustinent in sua gubernatione, & cùm vident sua consilia esse infelicia, accusant sociorum perfidiam, dolent suos labores esse irritos & inanes, & iudicant se à Deo negligi. Irascuntur ergo Deo, & opprimuntur desperatione & dolore. In his non est pax, de qua Paulus loquitur, id est, tranquillitas seu gaudium cordis, & expectatio boni exitus.

At contra in Ieremia & in Baptista est pax, tametsi ambo sustinent ingentes ærumnas, ingentia pericula, & tandem interficiuntur. Vnde autem hæc pax in corde oritur? quæ causæ consolantur & sustentante eos? Hæ causæ sunt. Norunt ex doctrina cœlesti, cur Ecclesia sit subiecta cruci, & quod Deus hanc obedientiam postulet. Imò sciunt Filium Dei, qui est caput Ecclesiae, futurum esse victimam, & toleraturum acerbissimos cruciatus. Interim tamen sciunt, se & Ecclesiam iuuari & sustentari

tari à Deo, & tandem exitus fore latos & glo-
riosos, nec labores suos inanes & irritos esse.

Hæc collatio dictum Pauli reddit illustri-
us: Pax Dei, quæ superat omnem sensum, cu-
stodiat corda vestra, & sensus vestros in Chri-
sto Iesu. Est autem hæc collatio sumpta ex dul-
cissimis promissionibus, quas fides cùm am-
pleteatur, scit Deum nobis adesse, sicut inquit,
se habitare cum contrito, & expectat auxili-
um & mitigationem periculorum, & saluta-
res exitus, denique confirmat animos, ne ab-
iiciant professionem, studia, labores docendi
& gubernandi Ecclesiam, etiam si magna im-
pedimenta obiiciantur.

Finis Epistole, Anno à natali Christi 1547.

Die Iohannis Evangelista.

DOMINICA POST NATIVITATIS.

Epistola Galat. 4.

Fratres: Dico autem, quandiu hæres puer
est, nihil differt à seruo, cùm sit Dominus
omnium: sed sub tutoribus & curatoribus est
usque ad tempus quod pater præscripsérít.
Sic & nos, cùm essemus pueri, sub elementis
mundi eramus, in seruitutem adacti. At ubi
venit plenitudo temporis, emisit Deus Fili-
um suum, natum ex muliere, factum legi ob-

noxium, ut eos qui legi erant obnoxij, redi-
meret, ut adoptione ius filiorum accipere-
mus. Quoniam autem estis filij, emisit Deus
spiritum Filii sui in corda nostra clamantem,
Abba Pater. Itaque iam non est seruus, sed fi-
lius. Quod si filius, & heres Dei per Chri-
stum.



Onstat poëmata Pindari in tāto ho-
nore apud Græcos fuisse, ut aliquæ
ipsius odæ aureis literis in templo
Delphico descriptæ sint. Laudo ex-
emplum, quod declarat. primam antiquita-
tem amantem fuisse doctrinæ & literarum.
Multò autem iustiùshæc sententia: Deus mi-
sit Filium suum natum ex muliere, non tan-
tum aureis characteribus in omnibus tem-
plis & parietibus exculpenda erat, sed in-
timis pectoribus tanquam sigillum impi-
menda, ut de primo capite Iohannis Basilius
inquit. Continet enim summam vniuersi Eu-
angelij, quæ omnibus piis semper ante ocu-
los versari debet. Hanc igitur dulcissimam
sententiam semper in inuocatione exercea-
mus, quæ, ut literæ ad verbum scribendum, sic
illa ad erigendas conscientias statim occurrat.

Cūm autem breuitas huius dicti non ita
subeat animos rudes, sed instar teli aures præ-
teruoleat, nos qui in scholis versamur, ac de his
rebus attentius cogitare debemus, singulas
voces diligenter invenient et expendamus.

Ac

Ac primum quidem missio Filij Dei consideratur. Magnum fuit Dei beneficium, quod Molen misit, doctorem legis: sed in Mose tantum erat humana natura, obnoxia peccato & morti. Athoc beneficium quanti faciendum est, quod Deus æternus Filium coæternum, imaginem suam mittit ad nos, assumentem naturam humanam, in qua tota lucet Deus Filius immutabili fœdere? Nec putemus ludere Deum, aut rem tantam frustra factam esse. Etsi enim nos humili strati non penitus comprehendere possumus hanc Dei deliberationem: tamen hoc certè fatendum est, nec temerè, nec frustra hanc societatem diuinæ naturæ factam esse, eamque euidens testimonium esse magni erga nos amoris. Quo enim pignore dato Deus magis declarare potuit, quod verè nos curet, respiciat & diligit, quam missio Filio, cui verè communicauit suam essentiam?

Magnum omnino testimonium est, esse Deum mentem æternam, immensæ sapientiæ, bonitatis ac potentiarum, hæc ipsa mundi machina, & nostræ naturæ totum opificium: sed omnium evidenter ostendit, nos Deo curæ esse, hæc missio Filij Dei. Ethoc fœdus cum humana natura mirari, hoc celebrare omnium mentes & linguæ deberent. Quod etsi diaboli execrantur, & impij homines contemnunt: nos tamen in Ecclesia grata voce prædicemus, sicut ipse Christus hunc amorem prædicat Ioh. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum daret. De-

Deinde cogitetur magnitudo beneficiorum, quæ à Filio Dei in nos profecta sunt. Ait nos redemptos esse, ut significet, non esse factam liberationem sine compensatione, sed Mediatorem pro nobis pœnam tanquam ^{au-}
^{tor} persoluisse. Etsi autem de his magnis rebus olim in vita æterna philosophabimur videriùs, nunc tamen ut pueri elementa discamus. Credamus Deum verè succensuisse hominum generi propter peccatum, nec futiliter abiecisse iram, sed ardenti deprecatione Filij placatum esse.

Cæterum quam tristis adpellatio sit; dici maledictum à Deo, id non potest verbis explicari, sed discamus pia meditatione, cum querelas in Psalmis & alibi legimus, item cum aliquo modo nostra peccata aspicimus, & ex pauescimus, metuentes nos à Deo abiici in æternam damnationem. Ac ut aliquo modo intelligatur atrocitas huius descriptionis, cum dicitur; Christus esse maledictum, cogitemus Dauidem horribili dolore oppressum, cum agnoscit se causam præbuuisse his tantis peccatis & scandalis, quæ lapsum ipsius secuta sunt. Propter meum peccatum, inquit, Deus permisit moueri seditionem, & quidem à meo Filio. Seditionem secuta est coniugum meorum contaminatio, & multæ cædes in toto regno, & alia multa scelera, quæ comitantur in testinas discordias, & innumerabiles animæ oppressæ sunt æterna ira Dei propter seditionem, multi sancti propter scandalum mortui sunt,

Sunt, multi etiam contagio seditionis oppres-
si sunt æterna ira Dei. Non dubium est etiam
inter Dauidis coniuges mœrore aliquas ex-
tinctas esse.

Hanc tantam malorum molem intuens
Dauid, cogitat se pestem esse Ecclesiam Dei, &
vas iræ, & fortassis abiectum à Deo. In tali do-
lore aliqua imago est dolorum Christi. Nam
Christus sustinet terrores propter nostra pec-
cata, quasi ipse sese tot nostris sceleribus pol-
luisset. Deriuat enim in sese iram Dei, quæ a-
lioqui nos oppressura erat. Estque significata
hæc tanta res multis dictis. Esaias inquit; Per-
cussum esse à Deo:qua descriptione significat,
nō tantum humana fæuitia, sed à Deo ipso la-
teratū esse Christum. Vritur Laurentius, nec
excruciatur in corde rāquam à Deo abiectus.
Alia res multò tristior est, iudicare sē à Deo tan-
quam vas iræ abiectum esse. Ita luctans secum
Christus, sudat Ἰησοῦς in horto, id est, guttas
spissi & concreti sanguinis, & postea in cruce
edit hanc tristissimam vocem; Deus meus
quare dereliquisti me? Ipse enim sentit non
tantum lacerationem corporis, & illam nati-
ralem mortis fugam, sed sentit peculiares do-
lores, quibus ostendit ipse Deus iram aduer-
sus peccata nostra, sicut aliquando in vera con-
tritione sentiunt pij horribiles pauores, seu
confusiones, seu consternationes, de quibus
pauoribus inquit Ezechias: Sicut leo contri-
uit omnia ossa mea. Et Dauid inquit: Quo-
niam

niam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, & confir-
masti super me manum tuam.

Etsi autem nō potest magnitudo dolorum
Christi & huius atrocissimæ descriptionis,
cūm ait, Christum factū esse sub lege, seu ma-
ledictum à lege, aut verbis exponi, aut cogita-
tione comprehendti: tamen necesse est pio a-
liquo modo has tantas res considerare, vt di-
scamus iram Dei aduersus peccata, & aliquo
modo celebremus magnitudinem oneris,
quod pro nobis Christus sustinuit. Agamus
igitur Filio Dei gratias, qui ppter nos ita seab-
iecit, vt nostras turpitudines, & pœnas nostro-
rum scelerum in se deriuaret, & suam imple-
tionem nobis donarit, vt nos efficeremur iu-
stitia Dei per illum, 2 Corinth. 5.

Secundum beneficium, quod Christus
impertit generi humano, est q̄b̄sia, id est, co-
optatio in filios Dei, & cūm filios nominat,
complectitur omnia beneficia Euangelij.
Nam filij significant eos, quibus placata est ira
Dei, qui iustificati sunt, & facti hæredes vitæ
æternæ. Hoc tantum beneficium mirari, hoc
celebrare omnium mentes & linguæ debe-
rent. Sed tantus est stupor, & tanta duricies
in hominum animis, vt plerique leuiter adsi-
giantur memoria & recordatione maximo-
rum beneficiorum Christi. Quare deplore-
mus nostram caliginem & frigus nostrum, &
à Deo petamus, vt in nobis fidem & gratitu-
dinem accendat.

Tertiū beneficium est, donatio Spiritus
sancti,

sancti, quo velut arrhabone & pignore dato nos Deus obsignat ad diem integræ liberatio-
nis, ut Paulus loquitur. O incredibilem
bonitatem Dei, quod effundit in corda nostra
Spiritum sanctum, cuius est essentia diuina,
& efficit nos, ut Petrus inquit, socios diuinæ
naturæ.

Postremò promittitur nobis ex hac vita di-
scendentibus æterna vita, in qua resuscitati fru-
emur luce, sapientia & consuetudine Dei, &
Patrem unum cum Filio & Spiritu sancto ad o-
mem æternitatem, quam nulla circumscri-
ptio temporis metitur, celebrabimus. Gratias
igitur agamus Deo æterno, Patri Domini no-
strí Iesu Christi, quod Filium placatorem con-
stituit, & tanto fœdere, videlicet unione diu-
inæ & humanæ naturæ pactus est, se nobis vel-
le propitium esse, nosque in hac vita regere, &
post hanc vitam ornare æternis bonis.

*Finis Epistole, die Circumcisionis, Anno à nata-
li Filiū 1547.*

D O M I N I C A P O S T C I R C U M C I S I O N I S .

Epistola Roman. 12.

O Escro igitur vos fratres per miseratio-
nes Dei, ut præbeatis corpora vestra ho-
stiam viuentem sanctam, acceptam Deo, ra-
tionaliæ

tionalem cultum vestrum. Et ne accommodetis vos ad figuram seculi huius, sed transformemini per renouationem mentis vestre, ut probetis vos, quæ sit voluntas Dei, quod bonum est, acceptumque & perfectum. Dico enim per gratiam, qua data est mihi, cuilibet versanti inter vos, ne quis arroganter de se sentiat, supra quam oportet de se sentire, sed ita sentiat, ut modestus sit & sobrius, ut cuiusque Deus partitus est mensuram fidei. Quemadmodum enim in uno corpore multa membra habemus, membra vero non omnia eundem habent actum: sic multi unum corpus sumus in Christo. Singulatim autem alijs aliorum membra in Christo Iesu Domino nostro.

LOCI.

- I. De Sacrificio.
- II. De humilitate.

De primo Loco.

Aleucus, à quo est Resp. Locrensiū astricta legibus, reliquit sententiam dignam memoria, quam ideo recitabo, ut discriben appareat inter Pauli doctrinam & Philosophiam omnium sapientum, qui vel leges, vel præcepta de moribus tradiderunt: Deus, inquit, non colitur sumptu, aut Tragœdiis captiuorum, ut ma-

Ius homo: sed proposito honestorum & iustorum operum. Ideò vnumquemlibet oportet bonum esse & actione, & proposito, qui vult Deo placere. Quanquam autem hoc dictum adeò eruditè & sapienter propositum est, vt difficile sit iudicare parùm exercitatis, quid desit: tamen sine luce & agnitione Euangelij summos errores, & quasi noctem quandam hominibus offundit.

Nam cùm disciplina præclarum ac pulchrum decus sit, homines ita admirantur & magnificiunt hanc qualem cunque seu virtutis seu iustitiae umbram, vt eam diuino iudicio ac testimonio, perinde ac si legi satisfaceret, comprobari existiment. Sed hæc sententia longè distat ab re ipsa atque à veritate. Ut enim ceremoniæ nihil prosunt ad remissionem peccatorum, si non siant prælucente fide, & agnitione Mediatoris: ita nec disciplina, nec ullum opus morale eam vim atque dignitatem habet, vt sine Christo homines liberare possit à peccato & morte, & reddere iustitiam & vitam æternam.

Quare prudenter segregandæ sunt Pauli conciones de bonis operibus à philosophorum & legumlatorum sententiis. Nam Philosophi & alij sapientes gubernatores, qui iuria & neruos humanae societatis ac imperiorum ciuibus exponunt, nihil docent de fide, qua sola accipienda est remissio peccatorum. Econtra Paulus in hunc locum incumbit, docet quomodo Deus inuocandus sit fiducia

Mediatoris, docet inchoandom esse obedientiam, & quomodo placeat, monstrat certam & firmam cōsolationem piis, quæ est inchoatio vita æternæ.

Hec ideo præfatus sum, ut refutarem vel inscitiam vel impietatem eorum, qui putant artem vulgarem Apostolos circum tuuisse, præcepta de moribus, & comparant eos cum Phocylide, Theocrito, Hesiodo, aut certè cum Philosophis, Epicteto & aliis. Hæc in eruditâ somnia abiicienda sunt, & discernendus est Euangelij Doctor à legumlatoribus & Philosophis. Nunc igitur ad id, quod institui, accedo.

Offerte, inquit, hostiam Deo non eiusmodi, qualem Artaxerxes Iunoni obtulit pro salute Atossa, complens auro aliquot stadia arce vsq; ad templum, sed offerte corpora vestra. Hic admonet, nouam obedientiam necessariam esse, & loquitur de seria cupidatum repressione, & vera tolerantia in afflictione, non de ceremoniis & simulatione. Monachus non ideo reprimit ambitionem, quia gerit sordidam vestem, nec ideo reprimit flamas amoris, quia non comedit carnem die sexta. At Ioseph fugiens illecebras dominæ, immolat Deo suum corpus. Sic Polycarpus cum iam positus esset in rogo ardenti, & innocaret Filium Dei, obtulit Deo hostiam viuentem, sanctam, placentem, & λατεῖαν. Sed cur addit viuentem, cum hostiæ omnes morti destinatae sint? Quia inter ipsas ærumnas pij sentiunt nouam consolationem, lætitia-

latitiam & vitam æternam, quæ sustentat eos, ne frangantur magnitudine suppliciorum, aut mole aliarum calamitatum opprimantur. Tunc habebis dubitatis, nullo modo credes Stephanum viuere, cum inter saxa fruatur conspectu filij Dei sedentis ad dexteram Patris?

Tertiò, finis significatus est, ad quem referri debent piorum opera & afflictiones, cum ait, offerendam esse hostiam sanctam. Vocate enim sanctitatem omnes virtutes vero corde directas ad hunc finem, ut Deo obedientia praestetur, ut Deus agnoscatur & celebretur.

Alexandri fortitudo verè erat donum Dei, & excellens virtus, & res quas gerit, adiuuantur à Deo: sed Alexander ipse non habet hunc finem propositum, ut Deo seruiat, & sua gubernatione propagetur vera de Deo notitia. Ideò res gestæ Alexandri non sunt hostiæ sanctæ, id est, ornates & illustrantes gloriam Dei. Econtra David bella gerebat, non ut in urbem triumphans inueheretur, sed ut pueri & pueræ domi, in templo, in scholis disserent literas, legerent Moysen, audirent interpretes legis & promissionum, in quibus se Deus patefecerat. Deniq; armis Davidis & aliorum virorū fortium, cœtus illi in templis & scholis tegebantur, ne notitia Dei inter homines penitus extingueatur. Ac pauci quidem gubernatores ad hanc metam tendunt. Julius dimicat, ne ab inuidis dignitate spolietur: Antonius mouet bella, ut de alieno heluari possit. Sed in Ecclesia o-

mnes prudentes illum optimum finem respicere decet, ut constituantur, iuuentur, a tegantur politiae, ut in eis notitia Dei propagetur.

Quarto discernit virtutes Ethnicas à Christianis. Multi sapientes disputant, quid sensendum sit de Aristide, de Pomponio, de Scipione, aut similibus. An non placuerunt Deo tales viri, cum pulcherrimae eorum virtutes verè dona Dei fuerint? Nobis ex verbo Dei de ipsis iudicandum est. Peccatum est, non agnoscere Filium Dei Mediatorem, nec credere, quod propter eum Deus nos recipiat & exaudiatur: & in quibus hæret hoc peccatum, in his manent alia multa horrenda mala, quia non possunt statuere de remissione peccatorum, fugiunt Deum, non inuocant, nunquam verè ab ipso expectant auxilium, tremunt aduersus eum, quasi crudeliter hanc naturam one-ret. Hæc confusio multorum vitiorum sequitur, vbi non est agnitus Christi, & illa vera fides apprehendens remissionem peccatorum propter Christum.

Porrò ut noua obedientia placeat Deo, hæc tria concurrere oportet. Primum statuendum est, personam placere propter Mediatorem gratis, non propter proprias virtutes. Secun-dò agnoscenda & deploranda est infirmitas, quod adhuc hæreat in nobis peccatum, & quod procul à legis impletione absimus. Ter-tiò statuendum est, quod Deus velit in hac cari-
obedientiā, & hanc in reconciliatis placere pro-ppter Christum.

Quoties

Quoties igitur de bonis operibus dicitur, toties in mentem veniat salutaris & necessariæ doctrinæ de iustitia fidei, quæ verè est, ut Gorgias apud Platonem ait, Φυχὴ τὸ λεθός, id est, vita seu anima bonorum operum. Cogita autem quām grata & dulcis sit hæc Pauli oratio militi Christiano, versanti in acie: Offerte Deo corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem. Quanquam enim corpus bello oblicit, pulchrāmque petit per vulnera mortem: tamen in ipsa morte experitur veram & diuinam consolationem, qua Spiritus sanctus corda sustentat, & vitam eis præbet. Quid autem gloriosius cogitari potest, quām dimicare pro gloria Dei, & Ecclesiæ ac veræ doctrinæ conseruatione? Hæc quisquis facit, Deo gratissimum cultum præstat, & de genere humano præclarè meretur.

Epaminondam ducem Thebanum, eum qui patriam oppressam seruitute in veterem dignitatem vindicauit, dicere solitum legitimus, nullam se ex omnibus rebus gestis voluptatem maiorem, vberiorēmque fructum capere, quām quòd parentes habuisset non modò spectatores, sed etiam testes restitutæ libertatis. Magnifica sanè vox, & magno viro ac sapiente digna, quæ declarat, illum præcipue delectatum esse parentum iudicio ac testimonio. Quo igitur animo nos decet ferre difficultates actionum & consiliorum, denique & mortis nostræ, quæ ad gloriam Dei illustrandam & communem hominum salu-

tem refertur? Sic enim clarè in Psalmo dicitur: Preciosa mors sanctorum in conspectu Domini. Et in Apocalypsi amplissimum præconium extat de piis, qui mortem pro Ecclesia oppetunt: Hi sunt viri sancti, qui pro testamento Dei animos tradiderunt, & sanguine agni stolas suas lauerunt.

Hanc tantam gloriam animo repetentes, nulla pericula defugiamus, sed fortiter pro patria & doctrina, quæ aditum patefacit ad æternam Dei consuetudinem dimicemus cum opus est, & hæc bona & gloriam Dei, & propagationem cœlestis doctrinæ omnibus rebus humanis anteferamus.

Postremò additur insignis & memorabilis particula, quæ refutat opinionem de opero operato, seu de merito & dignitate operum. Offerte, inquit, Deo cultum rationalem seu intelligentem. Non vult obedientiam nostram similem esse apum mellificio. Quanquam enim apes naturæ instinctu miranda opera efficiunt: tamen opera sua neque intelligent, neque iudicant, atque, ut Physicorum ytar verbis, non habent actum reflexum. Taliis cultus non postulatur à Deo, sed mens intelligat doctrinam de Dei natura & voluntate, & fide obtemperet Deo, & dirigat actiones omnes præcipue ad hunc finem, ut Deus recte agnoscat, & multi inuitentur ad confessio nem puræ doctrinæ Euangelij. Hunc cultum venustissime appellat Paulus ἀογὴν τὸν λατρεῖαν, id est, rationalem seu intelligentem cultum.

De secundo

De secundo Loco.

Generalis sententia est, quæ monet, ut modum nostri doni agnoscamus, nec magnas res sine vocatione suscipiamus, denique ne blandiamur ipsi nobis, quasi antecellamus omnibus hominibus sapientia. Hæc modestia utilis est concordiæ publicæ, ac præcipuum decus est in gubernatione. Etsi autem Paulus de Ecclesia propriè loquitur, tamen hæc sententia: Nolite nimium sapere, etiam politicum præceptum est: & politica exempla facilius intelliguntur; quorum plenæ sunt omnes ætates & omnes historiæ.

Lentulus inuidet gloriæ Scipionis, & cupit ad se transferre laudem finiti belli Punici, sed non videt ineptus, se nequaquam similem esse Scipioni, & debebat agnoscere suam mediocritatem, non se conferre superiori. Quid est visitatius, quam quod multi conantur leges ferre, & suas ciuitates reformare, vt vocant, sed nihil salutare & durabile constituunt, nisi Deo adiuuante, vt Solonis, Augusti & similium quorundam leges fuerunt utiles ciuitatibus & durauerunt. Interim quam multorum futilis emendationes tantum turbaverunt Atticam ciuitatem, & Romanam? In talibus vitæ negotiis cogitemus hanc sententiam: Nolite nimium sapere, sed unusquisque agnoscat modum sui doni.

Finis Epistolæ, die 3 Ianu. Anno Christi

1547.

D 4

DOMINICA I. POST
DOMINICA PRIMA
 POST EPIPHANIAS.

Epistola Roman. 12.

Habentes dona iuxta gratiam datam nobis varia, siue prophetiam iuxta positionem fidei, siue ministerium in administratione, siue qui docet in doctrina, siue qui exhortatur in exhortatione, qui impertit in simplicitate, qui praest in diligentia, qui miseretur in hilaritate. Dilectio non sit simulata, sitis odio persequentes quod malum est, adhaerentes ei quod bonum est per fraternalm charitatem, ad mutuò vos diligendos propensi, honore aliis alium praeuenientes, studio non pigri, spiritu feruentes, temporisseruientes, spe gaudentes, in afflictione patientes, precationi instantes, necessitatibus sanctorum communicantes, hospitalitatem se-
ctantes. Benè loquamini de ihs, qui vos inse-
ctantur: benè loquamini inquam, & nemalè prece mimi. Gaudete cum gaudentibus, & flete cum fletibus: eodem animo aliij in alios affecti, non arrogantes de vobisipsis sentientes, sed humilibus vos accommodantes.

L O C I.

I. De ratione interpretandi scripta Prophetica &
 Apostolica, & iudicandi omnes Synodos, o-
 mnesque

memoresque opiniones, quæ literis & memoriae
posterioritatis traditæ sunt.

ii. Catalogus virtutum vtriusque tabula, quarum
descriptiones ex alijs locis perpende sunt. Su-
prà enim dictum est de sollicitudine, item de
gaudis piorum, ac de inuocatione: Infrà au-
tem aliquoties de patientia, dilectione, &
aliis virtutibus dicemus.

De primo Loco.

 Vemadmodum nautæ semper in
conspictu habent stellam, quæ à
Græcis Cynosura dicta est, & hac
fidunt duce nocturna Phœnices in
alto: Ita omnis enarratio scripturæ Propheti-
cæ & Apostolicæ ad certam normam dirigen-
da est, ne aberremus in interpretatione, & cor-
ruptelas impiè ac tetrè fingamus. Id ne acci-
dat, traditur à Paulo regula, quæ gubernacu-
lum esse debet omnis iudicij nostri de dogma-
tibus sparsis in Ecclesia, de Synodis ac omni-
um scriptis, qui nostram religionem ornare
ac illustrare conati sunt.

Sic enim ait: Si quis habet Prophetiam, id
est, donum excellens & diuinum enarrandi
doctrinam, is regulam sequatur certam, scri-
pta Prophetarum & Apostolorum, Symbola,
Apostolorum, Nicenum, Athanasij, & similia
prioris Ecclesiæ vetustæ testimonia.

Hunc consensum Catholicæ Ecclesiæ Chri-
sti vocat ἀράσογιαν fidei, quam & nos tuemur,

& Deo iuuante semper fideliter tuebimur aduersus omnis generis furores, Epicureos, Iudaicos, Ethnicos, Mahometicos, hæreticos, & quicunque idola defendunt. Sentimus enim Euangelium non esse commentitium, sed veram Dei æterni vocem: dissentimus ab Epicureis, qui putant, confusas esse omnes religiones, vt initio ad pacem & ciuilia officia pala-bunda multitudo cogi posset, & semper præ-sentem formam, qualiscunque est, tuendam esse, ne harmonia politici status conturbetur.

Quare animi sententiam de religione non flectamus ad Principum voluntates, vt Rhetor quidam Ezebolus tempore Constantij fe-cit, nec nouum doctrinæ genus cōminisca-mur, vt hæreticis & idolorum cultoribus vi-tatum est, sed exploratum habeamus, vnam esse perpetuam Ecclesiam, in qua Filius Dei per Patres, Propetas & Apostolos veram Dei notitiam tradidit, & taxat persuasions con-tumeliosas aduersus Deum, quas sparsit Dia-bolus odio Dei.

Ad illam veram Christi Ecclesiam nunc quoque belligerantem cum Diabolo, & dis-sentientem à Pontificibus, qui idolomaniam defendunt, & trucidant membra Christi, vt omnes pij adiungere se debent: ita me quo-que tota mente & toto pectore adiungo, ac precor ex animo Filium Dei Dominum no-strum Iesum Christum, vt ministerium no-strum gubernet, ac per nos sit efficax, vt ad-fuit Patribus, Prophetis & Apostolis.

Non

Non igitur valet Argumentum: Hæc Episcopi decreuerunt. Quare pro certis, veris, necessariis recipienda sunt. In synodo Antiocheno aduersabatur Paulo Samosateno præcipue Diaconus Melchior, & rectè præferebatur sententia Melchioris, quia retinebat Iohannis Apostoli scriptum, quod Samosatenus corrumpebat. Hæc de autoritate ordinaria breuiter admonere satis est, videlicet quod oporteat anteferri verbum.

Secundò monet dictum Pauli, oportere singulos in sua conscientia iudices esse doctrinæ. Etsi videtur hoc arroganter & absurdè dici, non satis esse, sequi Synodorum ac doctorum iudicia, sed debere accedere proprium cuiuscumque iudicium: tamen fides in singulis nitatur non auctoritate humana, sed Dei verbo & testimoniis. Credis synodo Nicenæ non propter huius multitudinis iudicium, quæ ibi conuenit, sed quia intelligis congruere decretum cum certis testimoniosis verbi Dei.

Hunc ordinem inuertunt humana & politica iudicia, non volunt in disputationem vocari ea, quæ semel iudicata sunt, ut non decet rursus vocare in disputationem ea, quæ in aliquo regno deliberata à Rege & Principibus decreta sunt. Sed nos sciamus, fidem non perdere ab illa humana auctoritate. Non posset conscientia inuocare Filium Dei, si nullum haberet testimonium, nisi synodi. Sed quia verba ipsa Christi & Apostolorum hoc docent, accenditur fides, & verè inuocat.

Sed

Sed quæres, an non satis est audire ministros Euangelij? Responsio. Satis est, sicut Iohan.¹⁷ dicitur: Rogo non pro iis tantum, sed etiam pro omnibus credituris per verbum eorum in me. Sed cùm audimus ministros, scire debemus, vnde acceperint doctrinam, id est, an afferant doctrinam Filij Dei. Quia cùm Episcopus Romanus, vel alij fiunt hostes Euangelij, dissentire ab eis necesse est, sicut clarè hæc vox docet: Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit.

Nec leue conuicium est, vocari anathema, quod omnium malorum extremum & sumum est. Sciamus reiectos esse à Deo defensores idolorum & impiorum dogmatum, nec propter opinionem autoritatis eorum amplectendos esse errores. Hanc igitur sententiam nobis ipſi inculcemos, hac voce Pauli nos muniamus contra illas vituperationes dissidiorum, & respondeamus: Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit.

*Finis Epistolæ, die 10 Ianuarij, à natali
Christi 1547.*

DOMINICA SECUNDA POST EPIPHANIAS.

Epistola Roman. 13.

Neminis quicquam debeat is, nisi hoc, ut inuicem diligatis. Nam qui diligit alterum,

*rum, legem impleuit. Si quidem illa: Non
mœchaberis, non occides, non furaberis, non
falsum testimonium dices, non concupisces,
& si quod aliud præceptum in hoc sermone
summatim comprehenditur: nempe; Diliges
proximum tuum sicut teipsum. Dilectio pro-
ximo malum non operatur. Consummatio
itaque legis est dilectio.*

Emper in conspectu sit hoc Pauli dictum: Oportet Episcopum ὄφθοτο-
μεῖν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας. Cùm enim
duæ partes in vniuersa Scriptura
contineantur, Lex & promissio gratiæ, quæ
propriè vocatur Euangeliū, summo studio
curaque cauendum est, ne temerè inter se mi-
scantur aut confundantur. Nam multum o-
mninò refert, veras metas, & vera discrimina
harum doctrinarum intelligere, Legis diui-
næ, Philosophiæ, & Euangeliij. Hoc discriminē
confundere tristius est, quam Solem è mundo
tollere. Sequuntur enim horrendæ tenebrae,
obliuio Christi, interitus Ecclesiæ. Quid enim
interest inter Ethnicos & inter Ecclesiam a-
missa hac luce, qua statuit Ecclesia, se certò
placere Deo, se recipi, exaudiri, seruari pro-
pter Filium Mediatorem.

Retinuerunt Græci & aliæ multæ gentes
doctrinam de honestis moribus, & de disci-
plina. Quam multi sapientia & virtute præ-
stantes

DOMINICA II. POST

stantes norunt esse Deum mentem æternam, vnicam, immensæ potentiaz, omnia prospici-
entem, iustum, beneficam, omnium rerum
conditricem, & vt grauiissimè dixit Plato, τὸ
ἀγαθὸν φύσεως ἀριστα. Quid igitur interfuit in-
ter nos & Ethnicos, inter Platonem & Pau-
lum? Euangelium facit discrimen, quod do-
cet, quomodo Deus inuocandus sit fiducia
Mediatoris, docet inchoandom esse obedien-
tiam, & quomodo placeat, monstrat certam
& firmam consolationem piis, quæ est incho-
atio vitæ æternæ.

Quare cùm semper scripta Prophetica & A-
postolica in manibus habenda sint, illud in-
primis lector consideret, quam ad partem do-
ctrinæ cœlestis singula dicta, omnesque con-
ciones referri debeant. Sciamus igitur & hanc
concionem, quæ præcipit de dilectione, non
esse propriam & arcanam sapientiæ Euangeliij,
sed mā datum æternum & immutabile, quod
mens diuina statim ab initio reuelauit, & im-
pressit humanæ naturæ, & vocali verbo tra-
didit.

Sed nemo ignarus Euangeliij, & non ha-
bens agnitionem Dei & fidem in Christum,
præstat hanc legem de dilectione. Inuidet
Saul crescenti Dauidi, & se obscurari dolet.
Non potest ferre Pompeius Iulij potentiam.
Assiduè rixantur inter se Aristides & Themis-
tocles. Hæc fiunt inter illos, quorum animi
sunt sine timore Dei & sine fide sed vnuquis-
que se plurimi fieri vult, & occasiones captat
pre-

premendi alios, non amanter admonet, non
sanat alterius incomoda.

At contra dilectio, quæ proficiscitur ex cor-
de puro, conscientia bona & fide non ficta, ut
Pauli utr̄ verbis, primū gloriæ Dei seruit,
hanc vult conspicere & celebrari: deinde sese ab-
iicit, & libenter cedit de principatu, non stu-
det lādere aut premere alios, errata aliorum sa-
nare cupit, ideo placidè & amanter admonet.

Hæc satis sit breuiter de hoc præcepto mo-
nuisse, quod quām sit necessarium, quām fa-
lutare, quām difficile, experientia declarabit.
Nam ut rectè moratos, benēque institutos
non dicimus, qui qualis, quidue sit virtus, no-
uerunt, verū qui secundum eam vivunt: Ita
multò magis beatos censemus eos, qui non
solum prædicti sunt intelligentia & notione
huius præcepti, sed habēt legem, cùm opus est,
ad usum conferunt.

Postremò diluenda est obiectio, quām
Cochleus & alij quidam leues & inconside-
rati ex Pauli sententia extruunt. Sic enim ra-
tiocinantur:

Impletio legis iustificat:

Dilectio est impletio legis.

Ergo, *Dilectio iustificat.*

Respon.

Concedo totum argumentum, si dilectione
nem de idea intelligas non de ea virtute, quæ
in singulas personas cadit. Nam omnes tani
experiuntur, nostram dilectionem esse molle
quidam, demissum, humile, eneruatum &
langui-

languidum. Aliud est igitur de idealo loqui,
aliud de personali (ut vocant) dilectione, id
est, de ea, quæ in singulis nostrum conspicitur.

*Finis Epistole, die 16 Januarij, Anno à natali
Christi 1547.*

DOMINICA TERTIA POST EPIPHANIAS.

Epiſtola Roman. 13.

Nec sitis arrogantes apud vosmetipſos, ne-
que cuiquam malum pro malo reddatis.
Proinde operantes honesta in conspectu o-
mnium hominum, ſi fieri potest, quantum in
vobis est, cum omnibus hominibus in pace
viuentes, non vosmetipſos ulcipientes, dile-
cti, quin potius date locum iræ. Scriptum est
enim: Mihi ultiō, ego rependam, dicit Do-
minus. Si igitur eſurit inimicus tuus, paſſet
illum: ſi fit, da illi potum. Hæc enim ſi fece-
ris, carbones ignis coaceruabis in caput illius.
Ne vincaris a malo, imo vince bono malum.

L O C I.

I. *Devindicta.*

II. *De Mansuetudine.*

Horum locorū explicatio petatur ex sum-
ma doctrinæ Christianæ, videlicet ex titulo de
præceptis & consiliis.

DOMI-

DOMINICA QVARTA
POST EPIPHANIAS.

Epistola Coloss. 3.

*S*itis igitur induiti tanquam electi Dei,
sancti ac dilecti, viscera miserationum,
comitatem, modestiam, mansuetudinem, le-
nitatem, sufferentes vos in uicem, & condo-
nantes vobis mutuo: si quis aduersus ali-
quem habuerit querelam, quemadmodum
Christus condonauit vobis, & ita vos. Su-
per omnia autem hac, charitatem, quae est
vinculum perfectionis, & pax Dei palmam
serat in cordibus vestris, in quam & vocati
estis in uno corpore & grati sitis. Sermo
Christi inhabitet in vobis opulenter cum o-
mni sapientia. Docete & commonetate vos
in uicem cantionibus & laudibus, & canti-
lentis spiritualibus, cum gratia canentes in
corde vestro Domino.

LOCI PRAECIPVI.

- I. Quæ causa nos impellere debeat, ut piè & hone-
stè viuamus.
- II. Enumeratio virtutum, in quibus exercendis fi-
des nostra & sanctitas potissimum conspic-
untur.
- III. Preceptum de studijs doctrinae cœlestis, & alia-

III. Magnifica & salutaris regularitatem.

De primo Loco.

Sepenumero admirari soleo ma-
gne partis hominum inscitiam, qui
admodum pueriliter disputant: Si
iustitia à Deo ad hominum vitam
permanat, eaque accipitur & comprehendend-
tur sola fide, quid est quod ullus diuino numi-
ni cultus, honores, preces adhibeamus? Huic
questioni occurrit Ecclesia, & maximas cau-
fas ostendit, cur vita nostra purè & castè de-
genda sit.

Prima est mandatum Dei, quod meritò
nos impellere debebat ad benè beatéq; viuen-
dum. Vt enim rationem nullam Deus affe-
rat, ipsa autoritate nos frangit. Atque hīc ve-
hementius probo id, quod de Pythagoricis
aceperimus, quos ferunt, si quid affirmarent in
disputando, cùm ex eis quereretur, cur ita es-
set, respondere solitos: Ipse dixit. Ipse autem
erat Pythagoras. Tantum opinio præiudica-
ta poterat. Vt enim tine ratione valet autori-
tas: Ita nos multò magis acquiescere oportet
bat in voluntate diuina, quam constat esse ta-
lem, ut nullo scelere delectetur, iuxta illud
Psalmi: Non Deus volens iniquitatem tuas.
Porrò quanta vis sit diuinæ ordinationis, id
cateræ res declarant, cœlum, terra, plantæ, a-
nimantia,

nimantia, cùm suis quæque legibus obtemperent. Hæc cùm ita se habeant, profectò dolendum est, solum hominem à seipso dissentire, ac leuiter mandato Dei commoueri.

Secunda causa est memoria & recordatio illius finis, propter quem & à principio humana natura condita est, & deinceps per Filium Dei redempta. Nam solis hominibus inter creaturas corporeas Deus rationem attribuit, ideoque suam imaginem impressit, ut ea legitimè videntes ipsi parerent. Iam cogita quanta res sic fingi formari que ad viuam Dei imaginem, & assidue circumferre quasi notas quædam cōmonefiantes de opifice & conditore omnium rerum.

Illud quoque in mentem veniat, non solum Dei imaginem esse hominem, sed illud ipsum opus, in quo Deus voluerit acquiescere, seu quo voluerit verè delectari, sicut in Genesi dictum de Sabbatho monet, quod narrat, hominem ultimum opus fuisse, scilicet, ut in eo acquiesceret Deus, & ad quod appetitio condendæ naturæ principaliter directa fuit.

Adde huc finem redemptionis. Filius Dei redemit nos inenarrabili precio, videlicet morte sua, non ut simus soluti tanquam liberrimæ vagantes pecudes, sed ut vindicati in veterem libertatem seruiamus illi in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris. Liber enim verbis iisdem mihi vti, quæ sanctissimus vir Zacharias de filio recens nato

vsurpauit. Cūm quetanta sit magnitudo me-
ritorum erga nos Christi , non dubium est,
quoniam omnes pīj admiratione illorum attoniti
exclament, vt Dauid in Psalmo: Quid referam
Domino pro omnibus quā retribuit mihi?
Sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domi-
ni inuocabo.

Denique & hæc cogitatio animum subeat,
quod in pectora nostra effundatur cœlestis il-
le & diuinus Spiritus , qui, vt Petrus ait, facit
nos participes diuinæ naturæ. Nam Deus lar-
gitus est nobis hunc Spiritum , non solum vt
hoc monitore beneficiorum illius memores
essemus, sed etiam vt eodem adiutore cùm ve-
limus, tūm etiam possimus sanctè viuere.

Sunt & alia causæ complures, quæ si singu-
la fortasse nos non mouent, vniuersæ certè ca-
men inter se connexæ atque coniunctæ mo-
uere debebunt, videlicet necessitas retinendæ
fidei: Item consideratio iræ Dei, & ingentium
pœnarum , quæ lapsus humanos comitantur:
deinde dignitas bonorum operum: postremò
magnitudo præmiorum , quibus cùm in hac
vita tūm in æterna Dei consuetudine piorum
officia cumulatiissimè pensantur. Verum de
his alio loco copiosius differetur. Hæc enim
ideò recensui, vt pondera verborum in textu
considerentur, cùm ait Paulus: Induite ergo
vos, si cū electi Dei, sancti, & dilecti, viscera
misericordiæ

De secun-

De secundo Loco.

Septem virtutes ordine recensentur, de quibus nominatim dicendum est.

Prima est *Misericordia*, quæ afficitur sensu alienæ calamitatis, præsertim iniustæ, & opitulatur iniustè oppressis pro vocatiōe: Item probabili ratione mitigat iustā calamitatē. Constantinus opitulatur Ecclesiæ opresso à tyranis. David post victoriam parcit ciuiibus, qui fuerant seditiosi, & tamen iam redibant ad officium. De hac virtute cùm sèpe aliâs, tūm maximè accuratè Scriptura concionatur, Psal. 41. Beatus qui miseretur super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.

Traditur enim doctrina & promissio, videlicet, oppressam Ecclesiam ab impiis fouendam & tuendā esse, & promittuntur præmia iis qui Ecclesiæ in ærumnis benefaciūt, ut Exo. 15. obstetrics contra edictum regis seruant infantes Hebræos. 3 Reg. 18 Abdias abdidit Prophetas in speluncas, ne raperentur ad nemem ab impia & tyrannica Regina. Et nunc aliqui pij Principes nolunt adiuuare furores Pontificum & Regum, & eorum qui exercent sauitiam in homines innocentes, veram & puram Euangelij doctrinam pio studio amplexos, & fouent Ecclesias & pia studia magnō suo & suarum ditionum periculo. Talibus hic Psalmus dulcissimam consolationem proponit, ac adfirmat, Deum defensurum esse hos ipsos, qui piorum ærumnis adficiuntur, &

eis opem ferunt, & sicut Deus texit Abdiam tegentem Prophetas, de quibus prius dictum est, ita teget Principes, ciuitates & singulos, qui benefaciunt piis.

Secunda virtus est *χριστός*, quæ filio Dei tribuitur ad Tit. 3. Apparuit *χριστός* καὶ φιλοθεωπία τῷ Θεῷ σωτῆρι ἡμῶν. Quid autem significet vocabulum, intelligi potest ex versiculis Menandri: *χριστὸς ἀνὴρ εἰς νοίον ἄγαθὸν*: Bonus vir est commune bonum. Item, ὡς ἡδὺ συνέστη *χριστός* κεκραυμέν: Quam dulcis res est bonditas temperata prudētia. Vocatur enim *χριστός*, qui non solet amicis, præsertim iusta petentiis, odiosè repugnare, sed aliis quacunq; ratione potest, prodesse & gratificari studet, est que comis, placabilis, beneficus, alienus ab omnī asperitate & morositate.

Talem fuisse constat Filium Dei, cùm inter homines induita carne familiariter versetur. Etenim multis hominibus nemine rogante aut hortāte opem tulit, sicut filiū viduz resuscitauit. Rogatus verò omnē in petentes liberalitatem paterna cum charitate effudit.

Etsi autem magna laus est, esse *χριστόν*, id est, beneficium, & hæc virtus præcipue lucet in Filiō Dei, ut tota Euangeliū historia testatur: tamen maior Emphasis est in voce φιλανθρωπίας. Est enim opposita πλεονεξίᾳ καὶ φιλοτιμίᾳ. Multi enim non ad illius commodum respiciunt quem diligunt, nec sunt veri amici, sed mercatores quidam utilitatum suarum, vnde liquet, raro copulatas esse ambas virtutes. *χρι-*

στόντα

*επίτητα καὶ φιλανθρωπίας, id est, studium benē
merendi de aliis, non suæ utilitatis causa, sed
tantum amore illius, in quem beneficia con-
feruntur.*

*At in Christo etiam φιλανθρωπία lucet & con-
spicitur. Non enim diligimur à Christo, ut pra-
ta & arua & pecudum greges diliguntur. quod
fructus ex eis capiantur: sed Christi charitas &
amicitia gratuita est.*

Hæc de vocabulis ob eam causam recensui,
ut cogitemus, suauissimos titulos Filio Dei
tributos esse, cum nominatur à Paulo χριστὸς
ἡ φιλανθρωπος. Et nos easdem virtutes expri-
mere aliquo modo discamus. Sumus enim
conditi ad societatem & officiorum commu-
nicationem, in quibus lucere debent fides,
confessio, χριστόns, φιλανθρωπia. Quare non si-
mus πλεονεκτικοὶ aut πενθδοξοὶ, sed honestissi-
mam hanc sententiam semper in ore atque in
animo habeamus: ἀγανθέιν τὸν εἰ φανέντν μᾶλλον
φορτίζω τῆς εμπαυτῆς δόξην, οὐ τῆς ποινῆς σωτηρίας, id
est, puderet rae, si viderer vehementius angi,
& magis solitus esse de priuata opinione,
quam de communi salute.

Tertia virtus est *Humilitas*. Est autem hu-
militas verè timere Deum, & agnoscere pro-
priam infirmitatem, & tamen in fide obedire
vocationi Dei, & expectare ab ipso auxilium
& gubernationem, nec appetere ea ad quæ
Deus non vocat, nec fieri audaciorem, quasi
nostra sapientia, nostris viribus res magnas
& salutares geramus, sed verè statuere, quod

Deo adiuuante res vtiles geramus, agnoscere & modum nostri doni, nec despicere alia membra, per quæ Deus est efficax, sed potius petere, vt Deus ceteros etiam adiuuet, & illos honore adficere, tanquam Dei organa, & existimare, quòd etiam vtiliora per eos gerere possit.

Tales sunt Moses, Dauid, & similes, qui agnoscabant suam infirmitatem, intelligebant se nequaquam pares esse oneri gubernationis, & tamen propter vocationem non recusabant subire tantam molem, & hanc fide sustinent, expectant auxilium à Deo, non iudicant se suis consiliis & viribus res tam pericolosas gerere posse, nec despiciunt alia organa Dei. Moses non despicit Iosuam : Dauid non despicit Ionatham, imò venerantur eos quos vident socios esse tanti oneris.

Humilis est & Ionathas, non appetit regnum, cum videt se non esse vocatum, nec inuidet Dauidi, quem videt antecellere, & ad regnum vocatum esse, se quanquam regis filio excluso. Hæc fuit magna & excellens virtus in Ionatha, obsequi voluntati Dei, & volentem de hereditate regni, quæ sibi ipsi deberi videbatur, alteri cedere. Hanc veram humilitatem ignorat mundus, quæ non appetit alia extra vocationem, & vocationi obtemperat fide.

Est igitur media inter hæc extrema, interignauiam & arrogantiam seu superbiam. Ignavia est desertio vocationis, aut ex simulatione & superstitione appetere fordes, vt Monachi faciunt. Econtrà arrogantia est, maiorem vocatione-

tationem sibi sumere, & cōfidere suis viribus,
& alia organa Dei despicer, veleis inuidere,
vt Cain, Saul, Antonius, & maxima pars ho-
minum faciunt.

Quarta virtus est *Mansuetudo*, quæ frenati-
ram, vt sit moderata, neruat contra iustitiam
& alias virtutes propter Deum.

Cūm autem mens non possit iram aut cœ-
teros affectus herili imperio regere, sed cordi
tantum politico more imperet, colligam bre-
uiter rationes aliquot, quibus piæ mentes in-
structæ ardentes irarum flammas faciliùs ex-
tinguant atque opprimant.

Prima causa est mandatum Dei: Extant
enim innumerabiles sententiæ, quæ hanc vir-
tutem præcipiunt, vt Ephes. 4: Sol non occidat
super iracundiam vestram.

Secunda causa, quia vindicta est honor
soli Deo competens, iuxta illud: Mihi vindic-
tam, & ego retribuam. Vult igitur Deus, nos
omittere priuatam vindictam.

Tertia est agnitus propriæ imbecillitatis.
Sciām⁹ nos quoq; habere peccata, quæ si Deus
iure coherceret, nōsque ex iure manu conser-
tum vocaret, nos causa cadere, & longè ante-
perire necesse esset. Quapropter singuli nos-
met ipsos vero gemitu accusemus, nec blādia-
mur nostris vitiis, sed aliis libenter ignosca-
mus, sicut & nobis ignosci volumus.

Quarta causa: Cūm inuocatio Dei nulla re-
magis impediatur, quām ira, odio & cupidi-
tate vindictæ, sanè vel ob hanc causam piis o-

maibus dandā est opera, vt eos morbos, qui sunt impedimenta inuocationis, quamprimum ex animis eiiciant atq; extirpent. Nam hi motus extremē inter se pugnant, petere à Deo remissionem peccatorum, & fratri, qui tantū leuiter nos offendit, non velle exiguum erratum condonare.

Quinta causa est, quia vult nos Deus parcer recomuni tranquillitati Ecclesię, quę turbatur, cùm aluntur certamina.

Sexta & postrema causa satis perspicua est, quod talibus contentionibus impediuntur alia negotia magis necessaria, doctrinæ explicatio, deliberatio de restituendis scholis, emendatio Ecclesiarum, & similes causæ, quibus salus totius generis humani continetur. Hęc igitur, quę hactenus exposita sunt, diligenter meditemur, vt nos ad hanc virtutem, videlicet ad mansuetudinem seu condonationem iniuriarum assuefaciamus, nec indulgemus odiis & cupiditati vindictæ.

Quinta virtus est *Patientia*. Hic discernenda est doctrina Ecclesię & Philosophiæ de miseriis humanis. Alias causas impulsuas & finales Ecclesia proponit, alias Philosophia. Et Ecclesia proponit auxilium, Philosophia non proponit. Hinc etiam diuersæ definitiones patientiæ sunt.

Patientia Philosophica est obedire rationi in miseriis, ita vt moderemur dolorem, nec faciamus contra iustitiam, aut alias virtutes: Vt Cato fractus dolore contra iustitiam facit.

Pati-

Patientia Christiana est obedire Deo in sustinendis ærumnis, ita ne vel irascamur Deo, vel contra alia præcepta Dei faciamus, sed moreremur dolorem, & auxilium & mitigationem expectemus. Dauid pulsus in exilium præstat volens obedientiam Deo, & simul expectat auxilium. At Socrates ferens supplicium, et si vtcunque rationi obtemperat, tamen non cernit Dei præsentiam, nec expectat auxilium. Hæc alibi prolixius dicta sunt. Nam omnino necesse est retineri integrum discrimen doctrinæ Euangelicæ & Philosophiæ de ærumnis.

Sexta virtus est *Pax & Concordia*. Perspicuum est mandatum, & nota omnibus sententia: Concordia paruæ res crescunt, discordia maximæ dilabuntur. Et nemo ignorat Psalmum: Ecce quām bonum & quām iucundum habitare fratres in vnum. Qui Psalmus peculiaiter de doctrinæ concordia concionatur: Quia cūm sit mentio Balsami, quo Aaron vñctus est, doctrina significatur. Ut destillat Balsamum è vertice Aaronis in barbam, & oras vestimenti: Ita vera doctrina ab uno summo sacerdote & vertice Christo sparsa doceatur à toto cœtu sacerdotum. Non singant sibi homines nouas opiniones de Deo, sed agnoscant eum sicut sese patefecit, & colant eum iuxta verbum, quod ipse tradidit. Hæc satis sit breuiter de hoc præcepto monuisse, quod quām sit necessarium, quām salutare, experientia declarabit.

Septima virtus est *Dilectio*. Est autem vera non simulata benevolētia, quæ alias virtutes complectitur, obligans nos ad multa iustitiz, officia, ad communem defensionem, ad tribuendum suum cuique honorem, ad iuuandos egenos in necessitate, ad docendos alios de Deo, ad commonefaciendos. Sed cur non minat dilectionem vinculum perfectionis? Aduerarij hunc locum contra nos citant, & hinc ratiocinantur, quod dilectio iustificet: quia perfectos efficit. Quanquam hic multis modis de perfectione responderi posset, tamē simpliciter sententiam Pauli recitabo.

Certum est, Paulum de dilectione proximi loqui. Neque verò existimandum est, quod Paulus aut iustificationem, aut perfectionem coram Deo tribuerit operibus secundæ tabulae potius quam primæ.

Præterea si dilectio est perfecta legis impletio, & legi satis facit, nihil erit opus propiciatorie Christo. Paulus autem docet, nos receptos esse propter Christum, non propter legis impletionem, quia legis impletio non est perfecta. Itaque cum manifestè alibi detrahatur nobis perfectionem, non est sentiendum, quod hic loquatur de personali singulorum perfectione, sed loquitur de integritate communione Ecclesiæ. Ideò enim ait, dilectionem esse vinculum seu colligationem, ut significet se loqui de colligandis & copulandis pluribus membris Ecclesiæ inter se.

Sicut

Sicut enim in omnibus familijs, in omnibus Rebus p. concordia mutuis officiis aliena est, nec retineri tranquillitas potest, nisi quædam mala dissimulent inter se homines, & condonent: Ita iubet Paulus dilectionem in Ecclesia existere, quæ retineat concordiam, quæ toleret sicuti opus est, asperiores mores fratrum, quæ dissimulet quædam leuia errata, ne dissiliat Ecclesia in varia schismata, & ex schismatibus oriatur odia, factiones, & hæreses.

Necessæ est enim dissilire cōcordiam, quando aut Episcopi imponunt populo duriora onera, nec habent rationem imbecillitatis in populo. Et oriuntur dissidia, quando populus nimis acerbè iudicat de moribus doctorum, aut fastidit doctores propter quædam levia incommoda. Quæruntur enim deinde & aliud doctrinæ genus, & alij doctores. Econtra perfectio, id est, integritas Ecclesiæ conservatur, quando firmi tolerant infirmos: quando populus boni consulit quædam incommoda in moribus doctorum: quando Episcopi quædam condonant imbecillitati populi.

De his præceptis æquitatis pleni sunt libri omnium sapientum, vt in hac vitæ consuetudine multa condonemus inter nos propter communem tranquillitatem, & de ea cum hic tum aliâs saepè præcipit Paulus. Quare adversarij imprudenter ratiocinantur ex nomine perfectionis, quod dilectio iustificet, cùm Paulus

Detertio Loco.

Valde errantilli, qui pastores ex quolibet ligno sculpi, & sine literis, sine longa institu-
tione religionis doctrinam subito percipi pos-
se somniant. Primum genus sermonis Pro-
phetici & Apostolici cognoscendū est. Discen-
dā sunt igitur linguae veteres, & tota ratio for-
mandæ orationis cognoscenda est. Quam ad
rem bonis doctoribus veterum monumento-
rum lectione, literatis exercitiis, denique eti-
am tempore opus est.

Postea maior labor succedit. Habet Eccle-
sia suam quandam sapientiam supra humana
iudicia positam: habet hostem Diabolum, qui
obruere veritatem conatur, & multa sunt pra-
ua ingenia, quæ vel petulantia, vel ambitio-
ne, vel φιλονικία veras sententias corrumpunt.
Fuerunt igitur omnibus æstatibus acerrimæ in
Ecclesia contentiones.

Opus est autem ad explicationem contro-
versiarum maxima non solum ingenij dexte-
ritate, & mediocri cognitione sacrorum libro-
rum, sed etiam disputandi arte, copia oratio-
nis, notitia historiæ antiquitatis, & veterum
iudiciorum. Etsi enim nosse omnes pueros
& senes summam cœlestis doctrinæ necessis-
est, & breuiter comprehendi res potest: tamen
non de nihilo est, quod legimus apud Diony-
sius

Hum ab Apostolo Bartholomæo dictum esse,
Euangelium esse longum & breue.

Summa breuiter tradi potest, sed paulatim
collatione Propheticarum & Apostolicarum
concionum in omnibus piis, siue norint lite-
ras, siue non norint, illustrior fieri cogni-
tio rerum diuinarum debet, id sine lectione
& interpretatione fieri non potest. Et ad in-
terpretationem copiosa & varia doctrina, ut
supra dixi, opus est.

Christus iubet doctum Scribam proferre
noua & vetera. Vult igitur Scribam, id est, do-
ctorem non esse studem aut inexcitatum, sed
antea in Ecclesia eruditum & excultum, ac
vera & salutari doctrina imbutum.

Deinde Paulus sëpe hoc præceptum repe-
tit: iubet non omittere lectionem, iubet eligi
idoneum non solùm ad docendum, sed etiam
ad doctrinæ propagationem. Vtrumque mu-
nus quam multa complectitur? Nam perspi-
cuè docere est euoluere inuoluta, obscuris lu-
cem addere, attemperare rationem docendi
ad imperitorum & peritorum captum, pro-
delle, ut inquit Paulus, sapientibus & insipien-
tibus. Quantam hæc eruditionem, industri-
am, prudentiam, moderationem, quantum
consilij requirunt?

Deinde multò difficilior est propugnatio,
in qua necesse est genera doctrinarum conser-
ti, omnium ætatum certamina considerari,
patefieri insidias, refutari sophismata, detrahi
fucos

fucos falsis persuasionibus, veras sententias illustrare & munire. Hæc sine magna varietate artium, & sine literis præstare nemo potest. Ideo Paulus inquit: Verbum Dei abundet inter vos cum omni sapientia.

Cæterum ut David ante arcam fidibus celebrat Deum, ita Paulus Musicum exercitum probat, ac piis hortator est, ut suaui harmonia tanquam sale quodam doctrinæ commonefactionem aspergant. Non enim dubium est, Musicam generi humano præcipue datam esse, sacrorum causa. Primùm ut cantu tanquam literis conseruarentur & propagarentur oracula diuinitùs tradita. Durabilior est enim numerorum & carminum memoria. Deinde ut veræ sententiæ magis penetrarent in animos, & ferirent ac mouerent hominum pectora vehementius. Est enim quædam animæcum numeris & harmonia mirabilis cognatio, qua fit, ut audie arripiant animi harmonias, & earum varietati respondeant varijs motus in nobis.

Verum ut hanc disputationem de causis omittamus, illud minimè dubium est, Musicam in sacris ritibus semper adhibitam esse, vel tranquilliores redderet animos, & ad cogitationem rerum diuinarum aptiores, vel alios excitaret motus, iis sententiis, quæ proponebantur congruentes, eamque ad rem veterum consuetudo maximè profuit, quia ad fides adiungebant verba, ut simul perferrentur ad autres atque animos hominum sententiæ sonis con-

conuenientes. Hæc harmonia ciet ardentes motus.

Laudanda est igitur Aristotelis sententia, qui in 8 Politicorum sicut inquit de Musica: Musica propter tres causas utendum est: primùm propter disciplinam, quæ flectit hominum mentes ad comitatem & moderationem: deinde propter sedandos & purgandos animi motus: tertio voluptatis & recreationis causa, ut post magnos & difficiles labores aliquid laxamenti habeamus.

Quartus Locus.

Fuerunt omnibus seculis, & sunt inter Ethnicos, seu ignaros veræ religionis multi excellestes in geniis, doctrina, iustitia, fortitudine, & aliis virtutibus, quales fuisse accepimus Aristidem, Socratem, Fabium, Scipionem. Quia enim Deus politias & artes vita vtiles conseruat, interdum addit tūm gubernatoribus, tūm artificibus heroicis motus. Nec inutitum est, tales viros certis virtutibus antecellere piis.

Sed illud dolendum est, tanta vi ingeniorum præditos, non agnoscere, non inuocare, non celebrare Deum autorem. Summa est miseria, viuere hominem sine Deo, non inuocare Deum, non habere custodem aduersus diabolum, non iuuari à Filio Dei, manere hostem Dei, & ab eo abiici. Recte hoc Stoici: Omnia nasci hominum causa: Homines vero ut

Deum celebrent. Fuerunt magni viri & virtu-
les patriæ, Fabius & Scipio. Sed quanto fui-
sent præstantiores, si omnia fecissent in nomi-
ne Domini, ut hic Paulus grauissimè præci-
pit, hoc est, si in illis tantis rebus gerendis De-
um inuocasset, & sensisset ducem & gubernato-
rem tantorum certaminum, ac victori-
as contulissent ad propagandam doctrinam
de Deo, de Dei inuocatione & vita æterna.
Quid attinet vincere, si pacem tantum luxus,
libidines, auaritia, superbia comitantur?
Meritò igitur anteferimus his bellatoribus
nostros, Dauidem, Macchabœum, & similes,
qui in ipsis præliis Deum inuocabant, & veræ
religionis tuendæ causa dimicabant.

Hæc summa est verborum Pauli: Omnia
facite in nomine Iesu, & hanc regulam singu-
li ad suam vitam & vocationem accommo-
dant. Ideò ad societatem conditi sunt homi-
nes, ut in hac frequentia luceat notitia Dei, &
Deus celebretur atque inuocetur, & alij ab a-
liis ea doctrina imbuantur, quæ aditum pate-
facit ad æternam latitudinem & Dei consuetu-
dinem.

Similem igitur hanc societatem hominum
Scholæ esse intelligimus, in qua de Deo, & de
virtute præcipue commentari homines ope-
rat. Huius cœtus domicilia sunt politiæ, &
huic summo operi, scilicet doctrinæ propaga-
tioni seruire duces, exercitus, agricolas, opifi-
ces, denique omnes vitæ gradus existimemus.

Finis Epist. die 24 Ian. anno à natali Christi 1547.

DOMI-

DOMINICA SEPTV
GESIMÆ.

Epistola i Corinth. 9 & 10.

AN nescitis, quod qui in stadio currunt;
omnes quidem currunt, sed unus acci-
pit præmium? Sic currite, ut comprehenda-
tis. Omnis autem qui certat, per omnia tem-
perans est. Illi quidem igitur ut perituram
coronam accipiant, nos autem ut aeternam.
Ego itaque sic curro, non in incertum: sic pu-
gilem ago, non velut aërem feriens: verum
subiicio corpus meum, & in seruitutem redi-
go, ne quo modo fiat, ut cum aliis prædicar-
im, ipse reprobis efficiar. Nolo autem vos
ignorare fratres, quod patres nostri omnes
sub nube erant, & omnes per mare transie-
runt, & omnes in Mosen baptizati sunt in
nube & in mari, & omnes eandem escam spi-
ritualem comedebant, & omnes eundem po-
tum spiritualem bibebant. Bibebat enim
de spirituali, quem illos comitabatur petra, pe-
tra vero fuit Christus.

L O C I.

- I. Regula vita.
- II. Qualis cœtus sit Ecclesia Dei omnibus ætatibus.
- III. Quod Filius Dei & à principio semper adfuerit

Ecclesie, & deinceps ad futurus sit usque ad
postremum mandi diem.

De primo Loco.

Postquam antea multa dixit de ex-
quitate, attemperante ad diaphora ad
vtilitatem eorum, inter quos viui-
mus: nunc generalem regulam in
omni vita necessariam addit, qua continent do-
ctrinam de diligentia, quæ est prudentia in
prospiciendo fine & mediis ad finem ducen-
tibus, & intentio animi in mediis illis para-
dis & tuendis. Estque hæc regula: Siccuras
ut metam prospicias, & media eligas recta, ad
eam metam ducentia.

Hæc commonefactio etiam in Ethicis pro-
ponitur, quæ cum in tota vita necessaria sit, ta-
men sepe stultitia aut praus cupiditatibus
contra eam facimus, & quasi extra viam cur-
rimus. Hos errores intelligi necesse est, vt ca-
meri polsint. Sit igitur in nobis hæc virtus, di-
lignantia, vt dixi, deliberans de fine & de me-
mediis, & quadam voluntatis contentio, &
constantia in tuendis mediis.

Vitia opposita sunt, ignavia & ~~negligentia~~
~~negligentia~~, orta ex variis causis, ex natura inqui-
eta, ex pertinacia, ex ambitione, ex auaritia, ex
cupiditate dominandi, ex amulatione, & si-
milibus morbis.

Scipio in suo cursu hanc finem incuetur, vt
patria sit beata, elit media, labores militis,
& legitima imperia, & non concupiscit poten-
tiā.

dam contra leges , aut vlla extraordinaria
comoda: imò ne turbet patriam , cedit tur-
bulentis ciuibus, & iniurias accipit. Habere-
undem finem propositum Pericles, vt beata sit
patria , & antecellat reliquæ Græciæ : sed me-
dia non rectè eligit, & peccat iniulta pertina-
cia, cùm duriora edicta proponit aduersus Aé-
ginetas, & irritat Lacedæmonios.

Alcybiades, Pompeius, & multi alij de fine
& de mediis errant. Se volunt summos esse,
non beatam patriam, & multis contrariis con-
siliis ipsi sibi exitium accersunt. Alcybiades
nunc cum ciuibus, nunc cum Lacedæmoniis
fent, nunc Tissapherni, nunc Pharnabazo a-
amicus est.

Iam conferamus exempla in Ecclesia. Iere-
mix, Baptiztæ, Paulo meta proposita est, vt do-
ctrina purè propagetur propter gloriam Dei,
& vt ipsi salvi fiant. Ad hunc finem eligunt
media, sustinēt labores docendi , vbi possunt,
inuitant bonis exemplis auditores , confir-
mant dociles, tolerant rudiores , frenant o-
mnes cupiditates , ne aut doctrinam defor-
ment, aut turbent Ecclesiam , aut Deum of-
fendant.

Econtrà imperiti atque imprudentes do-
ctores, ers finem propositum habent , vt do-
ctrina Euangeli purè propagetur: tamen de
mediis saepe errant, rursum tantur de antiquis
non necessariis, sepe obsequuntur suis cupidu-
tibus, iracundie, ambitioni, avaricia, & cal-
umnia, & offendunt Deum. Eti igit̄

DOMINICA
tur studium habent, & zelum præ se ferunt,
tamen ad metam non perueniunt.

tamen ad metam non perueniunt.
Plus peccant, qui nec finem iustum intuentur, nec media recte quærunt, vt Monetarii, item Anabaptistæ, Pontifices, qui non hoc quærunt, vt doctrinæ recte propagetur, aut ut Ecclesia beata sit: sed vt ipse potentiam appetit sibi parent aut defendant, aut vt voluptatibus tutò fruantur, & ad multa contraria & impia consilia decurrunt.

Iam facile est intelligere textum: Omnes currunt, sed unus accipit primum, scilicet qui direxit mente, consilia, voluntatem ad iustum finem, quem infra nominat: Omnia facite ad gloriam Dei, & non sitis scandalo Ecclesie, id est, qui precepit hoc vult, ut Deus vere inuictus, & ut Ecclesia beata sit, & media recte elegit, recte docet necessaria, frenat cupiditates priuatas. Sic currit Paulus, ὡς ἐν ἀδικίᾳ, οὐ coimpetu, sine cogitatione finis, οὐ sine prudenter eligente media necessaria, οὐ incōsulto studio, ut currere his annis multos vidimus, nec malos homines, sed media οὐ recte eligentes:

oὐτῶς πυκτέω, ὡς δὲν ἀερά δέσποιν.
Ut prior similitudo à vago cursu sumta est,
ita hæc sumitur à pugile, qui nō ferit Antago-
nistam, sed aberrans incutit vicino aéri ictum.
Sed sententia eadē est. Significat & hæc simi-
litudo, eos qui aut nullo fine apposito tumul-
tuantur, vt multi phanatici & alij leues ho-
mines, aut etiamsi verum finem intuentur,
gamen vel media negligunt, vel non rectè ad-
hibent,

hibent. Tales cùm frustra laborent, dicuntur & ipsi aërem verberare. Ut in publica gubernatione aërem verberant doctores, qui de nō necessariis & incertis dimicant, cùm interea relinquant necessaria. Sic Monachi quærebant multos inutiles ritus. Nam abstinentia Charthusiana à carne, prorsus est aërem verberare. Rursus, laxare frenum ambitioni aut malivolentia, & tamen præ se ferre studium religionis, est etiam aërem verberare.

Hæ imagines cursus & pugilum pingunt diligentiam, prospicientem finem & media: Quia cursorēm oportet intueri metam: pugil feriat antagonistam, & vtérque videat media suo certamini necessaria. Iam igitur de mediis loquitur. Dicit se frenare vitiosas cupiditates, ambitionem, cupiditatem vindictæ, avaritiam, incendia libidinum. Usus est autem insignibus verbis. Multò plus est ἡπότιάζειν quàm frenare. Nam ἡπότια significāt tumores ortos ex plagis. Inde est ἡπότιάζω, adeò duriter tunido corporis, vt partes quaesitæ tumescant, & fintant liuidæ. Quorum vtrunque eò fit, quia percussione sanguis ex propriis vasis excutitur, & circa locum iactum concurrit, vbi destitutus suo calore fit pus. Etsi autem discriminē traditur inter hæc duo, ἡπότιον macula, & ἡπότιον purulentum, tamen vicina sunt, sicut effectus coniuncti sunt, id est, putrefactio sanguinis & cutis, pallor seu liuor. Significat igitur Paulus duras repressiones affectuum, vt tolerantia in dissimulanda obrectatione, & in ferendis in-

iuriis, quæ reprimit vindictæ aut gloriæ cupiditatem, quæ non potest præstari sine acrisensu doloris, ut inquit Iuuenalis: At vindicta bonum vita iucundius ipsa.

Reprehendit aliquis valens autoritate sententiam à te rectè traditam, & videtur aliquid de tua autoritate detrahere. Hanc iniuriam sæpe prodest dissimulare. Sed sine dolore id fieri non potest. Ita cæteri affectus ardentes nō sine dolore reprimuntur; ira, amor &c. Si es incensus iniusto amore, vitanda est consuetudo, regendi oculi, auertenda mens est labore aliquo seu studio, quod assiduitatem aut intentionem flagitat. Hæc omnia vocat duriter tundere corpus, & in seruitutē redigere, id est, cogere ut mentis iudicio facile obtemperent cor, lingua, oculi, & cætera membra. Hoc se facere inquit, ne dūm alios docet, ipse fiat reprobus.

Hic rursus admonet, obedientiam necessariam esse, nec esse quiddam ἀδιάφορον. Cùm autem quidam hunc locum citarint ad cōfirmanda Monachorum exercitia, pauca etiam de ea accommodatione dicenda sunt.

Paulus in genere loquitur de necessaria & seria cupiditatum repressione, non loquitur de ceremoniis & de simulatione. Ut, non idem reprimit ambitionem Carthusianus, qui a soridam vestem Monachorum gerit: Ideò non reprimit flamas amoris, quia non comedit carnem die sexta. Vera & seria diligentia coherendi vitiosas cupiditates est necessaria,
vt, tem-

vt, temperantia semper est necessaria, inedia certorum dierum non est necessaria, sed suo cuiusque iudicio relinquatur. Loquitur autem de virtutibus necessariis, & seriis earum exercitiis, de reprimenda ambitione, φιλονίζει, iracundia, æmulatione, auaritia, de extinguendis incendiis libidinum, & aliis malis.

Secundus locus, de Ecclesia.

Postquam ingressus est in hanc commonefactionem de diligentia benè operandi, iam attexit longam concionem, in qua confert Ecclesiæ tempora, lapsus & poenas, ut nos exicit ad studium retinendæ iustitiae, & ad cauendos lapsus. Estque hæc sententia: ut patres perierunt ruentes contra conscientiam, ita & vos peribitis, si similes lapsus admittetis. Itaque magna cura & vigilancia retinet iustitiam vobis datam. Hæc est argumenti summa.

Primum igitur docet, in reconciliatis necessariam esse nouam obedientiam, vt sæpe dictum est. Secundò monet, omnibus temporibus Ecclesiam Dei similem, esse scholæ, id est, cœtum in quo sonat ministerium Euangeliij de Mediatore, & per quod multi reconciliati fiunt hæredes vitæ æternæ.

Et quanquam vox ministerij eadem est, tamen externa signa differunt, vt circumcisio & baptismus. Mutantur enim, vt nouitas signorum sit commonefactio de instauratione do-

ctrinæ. Sunt etiam dissimiles politiæ diuersis temporibus, sed æ:umnæ sunt similes, & gradus hominum alij perseverant in fide, alij labuntur, & in his aliqui lapsi rursus cōuertuntur, vt Aaron, Dauid, &c: alij lapsi pereunt, vt Saul, Choræ, Dathan, & alij. Hanc imaginem Ecclesiæ veteris vult nos intueri.

Hinc tertio discimus, verè reconciliatos posse labi. Quia hic clarè dicit, omnes baptizatos esse, id est, receptos externis testimoniis, nube tegente populum, & vndis stantibus in mari. Hæc miracula fuerunt sacramenta testificantia hūc populum recipi, & Paulus vtrunque facit typum baptismi.

Quod autem inquit: In Moſen baptizatos esse, intelligatur ministerio Moſi baptizatos esse: quia necesse est in Ecclesia scire verbum, quod amplectimur, diuina autoritate traditum esse. Ideo nominatur Moſes, quia illustribus testimonijs vocatus est.

Detertio Loco.

Omnes eundem cibum spiritualem manducauerunt, & eundem potum spiritualem biberunt.

Hic clarè adfirmat, credentes in illa Ecclesia Moſi verè reconciliatos esse, & à Spiritu sancto renatos. Interpretatur enim potum: Biberunt ex spirituali comitante eos petra; petra autem erat Christus. Hic affirmat, Filium Dei adfuisse populo, & dedisse potum nō modò

S E P T V A G E S I M A E. 9:

modò corporibus fluentem ex rupe, sed etiam
mentibus spiritualem, id est, Spiritum san-
ctum. Expressè enim inquit, petram eundem
fuisse Christum. Hoc testimonium necesse est
meminisse, ut sciamus, Ecclesia semper inter-
fuisse, interesse, & interfuturum esse Filium
Dei, sicut ipse dicit: Pater meus usque modò
operator, & ego operor: Item, Maneo vo-
biscum usque ad consummationem mundi.
Nominat autem petram, alludens ad iuga
montium, per quæ iter fecerunt, ex quibus flu-
men aquæ erupit, ipso Messia fundente eos
fontes, qui aderat. Est autem Christus rupes
fundens fontes, quibus redditur nobis vita æ-
terna,

Finis Epistola, die 10 Febr. Anno Christi

1547.

D O M I N I C A S E X A- G E S I M A E.

Epistola 2 Corinth. 11 & 12.

Fratres: Libenter suffertis insipientes,
cum sitis sapientes. Suffertis enim si
quis vos in servitutem adigit, si quis exce-
dit, si quis accipit, si quis attollit se, si quis
vos in faciem cedit. Iuxta contumeliam lo-
quor, perinde quasi nos infirmi fuerimus.

Imò in

Em̄d in quocunque audet aliquis (per inspi-
 entiam loquor) audeo & ego. Hebrei sunt,
 sum & ego. Israelita sunt, sum & ego.
 Semen Abrahæ sunt, sum & ego. Mini-
 stri Christi sunt, (desipiens loquor) exel-
 lentiū sum ego, in laboribus copiosius, in
 verberibus supra modum, in carcerebus a-
 bundantiū, in mortib⁹ frequenter. A Iudeis
 quinques quadragenas plagas una minus
 acceperat virgis casus fui: semel fui lapida-
 tus: ter naufragium feci: noctem ac diem in
 profundo egi: in itineribus sape, in periculis
 fluminū, periculis latronū, periculis ex gene-
 re, periculis ex gentibus, periculis in ciuitatē,
 periculis in deserto, periculis in mari, pericu-
 lis inter falsos fratres, in labore & molestia,
 in vigiliis sape, in fame & siti, in ieunii sepe,
 in frigore & nuditate, prater ea quæ extrinse-
 cens accidunt, incombens mihi quotidiana cu-
 ta omnium Ecclesiariū. Quis infirmatur, &
 ego nō infirmor. Quis offenditur, & ego non
 vno. Si gloriari oporteat, de his qua infir-
 mitatis meæ sunt gloria b̄r. Deus & Pater
 Domini nostri Iesu Christi, qui est laudandus
 in secula, nouit, quod non mentiar. In Da-
 masca civitate gentis praefectus, nomine Are-
 da regis, excubias posuerat in Damasco
 urbe, cupiens me comprehendere, & per-
 fici.

Senestram in porta demissus fui per manum,
 fugique manus eius. Gloriari sane non ex-
 pedit mihi: veniam enim ad visiones & re-
 velationes Domini. Noui hominem in Chri-
 sto, ante annos quatuordecim, (an in corpore,
 nescio, an extra corpus, nescio, Deus nouit)
 raptum huiusmodi in tertium usque cœlum.
 Et scio huiusmodi hominem, (an in corpore, an
 extra corpus, nescio, Deus nouit) raptum fui si-
 sti in paradysum, & audisse arcana verba
 quæ fas non sit homini loqui. Super huius-
 modi hominem gloriabor, de me ipso vero non
 gloriabor, nisi super infirmitatibus meis.
 Nam si voluero gloriari, non ero inspiens,
 veritatem enim dicam. Sed parco vobis, ne
 quis de me cogitet supra id, quod videresse
 me, aut quod audit ex me. Et ne ex excellentia
 revelationum supra modum efferrer, datus
 fuit mihi stimulus per carnem, nuncius Sa-
 tanae, ut me colaphis cederet, ne supra mo-
 dum efferrer. Super hoc ter Dominum roga-
 ui, ut discederet a me, & dixit mihi: Suffici
 a bigratia mea: Nam virtus mea infirmita-
 te perficitur. Libentissime igitur gloriabor
 potius super infirmitatibus meis, ut inha-
 tet in me virtus Christi.

L O C I S E P T E M .
 De gloria, an sit appetenda.

- II. De miranda Ecclesiæ gubernatione.
 III. An liceat Christianis iurare.
 IIII. Quid de fuga Pastorum in persecutione existimandum sit.
 V. De ministerij Euangelici excellentia & dignitate.
 VI. Causæ finales afflictionum.
 VII. Explicatio questionum de paradyso, & de bestiæ mulo carnis.

De primo Loco.

Prinципio discamus, quid sit gloria & quomodo sit fugienda aut appetenda. Gloria est vera approbatio nostræ conscientiæ, & testimonium aliorum iudicantium rectè de honestè factis. Multa autem complectitur vera approbatio conscientiæ nostræ. Tunc enim conscientia rectè iudicat, cum agnoscit suam infirmitatem, timet Deum, & tamen vocationi obtemperat fide, & gerit ea, quæ postular vocatio, non appetit aliena, & agnoscit se iuuari à Deo.

Sic gloriantur Samuel, David, Paulus, id est, vera testimonia habentes conscientiæ, scilicet se non rapuisse dominationem, sed vocationi obediuisse, & non miscuisse priuatas cupiditates, & quæ feliciter gesserunt, à Deo gubernata esse.

Hæc gloria, id est, testimonium conscientiæ, est appetenda. Quia Deus vult nos viuere bona

bona conscientia : immo polluta conscientia non potest Deum inuocare. Sed tamen non confidamus, nos habere reconciliationem apud Deum propter hoc testimonium conscientie.

Rursus gloria, id est, gloriosæ functiones sine vocatione non sunt appetendæ, nec imaginemur nos nostris viribus res salutares gerere, sed sciamus verum esse, quod ait Christus: Sine me nihil potestis facere. Est igitur Superbia appetere functiones sine vocatione, item confidere propriis viribus.

Hinc iudicari potest, cognatas virtutes esse humilitatem & gloriæ appetitionem, sicut cognatae sunt parsimonia & liberalitas, & vtrique inter hæc extrema versari, inter ignorantiam & superbiam. Dicitur autem humilitas, quatenus non appetit functiones sine vocatione, & agnoscit suam infirmitatem, & non confidit suis viribus. Gloria vero dicitur, quatenus obtemperat vocationi.

Ergo Paulus rectè & sine arrogantia de se prædicat: Existimo me non inferiorem esse aliis Apostolis, quia oportuit eum declarare suam vocationem, & hanc opponere iudiciis humanis. Rursus rectè & sine simulatione de se prædicat, cùm ait: Ego sum ἔκτροπος, id est, ruditus & deformatus, abortu edita, immatura, polluta. Hæc satis sit breuiter attigisse, ut veras causas cogitemus, cur Paulus tam gloriosè de sua vocatione loquatur, nec arbitremur gloriam & humilitatem inter se pugnare.

De se.

De secundo Loco.

Quanquam vult Deus aliquos tanquam milites ex acie absundi, tamen hos seruat, ut prius curriculum suum absoluant. Sæpe erat seruatus Paulus, cum propior morti fuit, quam cum Nero iussit eum interfici, pepercerunt ei bestiæ in circo. At à Nerone belua multò deteriore quam vllæ feræ erant, permisit eum tandem interfici, ut testimonium infligere ostenderet futuri iudicij.

Ostenderat Deus autem multis miraculis, si bi placere Paulum, & constabat, Neronem pollutum esse sceleribus omniū turpisimis. Cum igitur interficeretur Deo placens à tali portento, euidentis argumentum est, restare à iudiū iudicium, in quo Deus ostendet, se non oblitum esse Pauli, quem antea probauerat, & à se Paulum diligi, Neronem verò in horrendas pœnas abiici.

Vt autem Paulus antea sæpe seruatus erat, sic sciamus totam Ecclesiam seruari, non humanis consiliis Principum, sed à Deo mirabiliter, sicut Oseas 1 dicitur: Saluabo eos in Domino Deo suo, & non saluabo in arcu & gladio.

Ac nunc maximè proponamus nobis huiusmodi dicta & exempla congruentia. Quia manifestè videmus Ecclesiis passim deesse præsidia humana, & alibi Turcas, alibi alios reges exercere sauitiam in Ecclesiis. In his sumnis hac nos consolatione sustentemus, Deum

Deum tamen seruaturum esse reliquias, sicut
in Daniele de hoc ipso tempore promittitur:
Tunc stabit Michaël dux magnus pro filiis
populi sui,

Detertio Loco..

Præceptum Christi: Nolite iurare omnino;
intelligitur de omnibus iuramentis, quæ pri-
uatim sine mandato potestatis, item non co-
gente vocatione erumpunt. Ut enim Euan-
gelium non abolet legem de vita politica: Ita
non abolet iusjurandum, quod est vinculum
civiliis obedientiæ & iudiciorum. Hæc est vera
& firma responsio, sed propter breuitatem
paulò latius euoluenda atque explicanda est.

Quod enim dandum sit magistratibus iu-
ramentum ἐπαυλον, id Paulus testatur Rom.
13, cùm ait, Magistratibus obtemperandum
esse, non solum propter pœnam, sed multò
magis propter conscientiam. Peccant igitur
Anabaptistæ & calij fanatici, qui detrectant iu-
ramentum à Magistratibus impositum, præ-
fertim cùm Deus postulet hunc cultum, vt i-
pso teste nostras assuerationes de rebus veris
& necessariis confirmemus. Sic enim inquit
cap. 10 Deuter. Dominum Deum tuum time-
bis, & illi soli seruies, & per nomen eius iu-
tabis.

Porro exempla Christi & Pauli quid aliud
declarant, quam cogere vocatione licitum es-
se, vt eum, qui est à te dñs, testem inuocemus?

Verum enim & necessarium iuramentum, quod non erumpit priuata leuitate, nihil differt ab inuocatione, quæ est summus & præci-
puus cultus Dei. Matth. 5 Christus addit for-
mulam iurandi suæ orationi, in qua affirmat,
legem esse æternam & immutabilem. Et Io-
hann. 16 inuitat nos iuramento ad precan-
dum : Amen amen dico vobis, quicquid pe-
tieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.
Hoc iuramentum non est obiter alpicien-
dum.

Etsi enim Dei promissa sine iuramento ra-
ta & firma sunt, tamen addit ius iurandum, ut
infirmitati & dubitationi nostræ opponamus
non solum promissionem, sed etiam æternum
iuramentum Dei, & non sinamus nobis ex-
cuti fidem vallis scandalis.

Sæpe & Paulus hanc formam iuramenti
repetit: Deus est mihi testis, quod non menti-
ar. Ac maximè in causa doctrinæ, asseueratio
iuramento confirmata necessaria est, quod
res veras & salutares bona conscientia docea-
mus.

Denique & illud iuramentum ad vocatio-
nem referri debet, quod ipsa necessitas dilec-
tionis præcipit homini Christiano, ut proxí-
mum calumniosè accusatum & periclitatum
de fama aut vita eripiat, eumque vindicet in
veterem locum ac dignitatem. Scriptum est
enim: Diliges proximum sicut te ipsum.

De qua-

De quarto Loco.

Hæc quæstio sèpe agitari solet; An liceat pastoribus Ecclesiarum fugere, ac deserere suum cœtum in persecutione. Etsi autem summatur doctrina, tūm sanctitate vir Augustinus prolixè eam tractat Epistola 180, & Pomeranus in 2 cap. Matthæi: nos tamen breui sum mam responsonis comprehendemus. Præclarum est illud Iurisconsultorum: in grauiissimis deliberationibus non tantum exempla adhibenda esse, sed regulas certas, quæ non sinunt nos labi, errare, decipi. Laudatur & Demosthenis oratio, qui inquit, non spectandum esse, quid fiat, sed iure nean iniuria factum sit. Quærenda est igitur regula, quam in explicatione huius grauiissimæ quæstionis turò sequi possumus.

Traditur autem à Christo Matth. 10. Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in alteram. Hæc regula intelligi debet de ea sententia, de qua principaliter loquitur. Cum enim Ecclesia pastorem non hortatur solùm, sed etiam impeilit, ut cedat aliquantis per insidiis & furori tyrannorum, ut hostibus Euangelij aut omnino extinctis atque oppressis, aut in gratiam receptis, redeat ad pristinum munus: In tali casu rectè facit pastor discedens è conspectu tyrannorum.

Christus aliquoties discessit in loca deserata, rabie Pontificum & aliorum impiorum animaduersa ac notata. Sienim Paulus extin-

ctus fuisset prima impressione hostili, nequaquam gerere potuisset res tantas tamque salutares vniuersæ Ecclesiæ, quas gessit annos 36 plus minus, à tempore conuerzionis usque ad ultimum annum Neronis.

Ita hoc tempore Iohannes Brentius, rogante ac hortante Ecclesia, quæ collecta est in Salinis Sueuicis, cessit insidiis Hispanorum. Quanquam enim acerba fuit hæc secessio tūm ipsi Brentio, tūm verò maximè piis auditoribus: tamen cum hi mallent carere aliquantisper illius usura, quām huic doctori vi vitam eripi, piè & grauiter Ecclesiæ votis obtemperauit. Sin autem Ecclesia ardenter cupit pastorem suum retinere, & ipso absente periculum est, ne aut impia fraude, aut anili superstitione obligetur: anteferat pastor confessionem & publicam salutem vitæ ac fortunis omnibus, quas priuatim possidet. Hinc facile iudicari potest, quid intersit inter bonum pastorem, qui non dubitat mortem oppetere pro Ecclesia, & inter mercenarium, qui fugit & deserit oues, cum lupi in eas impetum faciunt.

De quinto Loco.

Diligenter discenda est doctrina, & sepentimērō repetenda de efficacia ministerij Euangelici: primū ne queramus Deum sine suo verbo. Deinde ut sciamus etiam, in ipso Euangelio acquiescendū esse, & Deū hoc modo per fidē acquiescentē in Euangelio, dare hæc ipsa bona,

bona, quæ promisit, scilicet remissionē peccatorum, & Spir. sanctum, qui incendit in corde fidelium nouam lucem & vitam æternam. Hanc doctrinam de efficacia ministerij Euangelici non intelligunt mentes prophanz, sed experientia in vera consolatione ostendit necessariam & salutarem esse. Anabaptistæ & phantasticæ totam delent, qui suis imaginationibus, relichto Euanglio, nouas illuminationes querunt.

Tales furores execrandi sunt, & opposenda sunt testimonia de efficacia ministerij Euangelici. Esa. 8 exp̄s̄ recitatur præceptum, quod alligat nos ad verbum positum à Deo in ore Prophetarum, Apostolorum & aliorum rectè docentium: Ad legem & ad testimonium, inquit, id verbum qui non amplectuntur, non erit eis lux matutina. Rom. 10. Non dicas in corde tuo, quis ascendet in cœlum, prop̄ est verbum in ore tuo, & in corde tuo, cui si credideris, saluus eris.

Etsiigitur Paulus excellenti & singulari luce illustratus fuit in Paradyso, tamen propter ea non desertor fuit aut contemptor ministerij vocalis, sed Ananiam sacerdotem longè inferiorem, obtemperans mandato diuino, & quidem summa animi reuerentia audiuit disserentem de regno Christi, atque eiusdem ministerio iterum natus est ex aqua & Spiritu sancto.

Neque verò conciones suas confirmat mentione reuelationum, aut visionum diuina-

rum, sed doctrinæ, quam circumtulit, testimonia repetit ex antiquissimo Ecclesiæ scripto, videlicet ex Genesi, ut Rom. 4 & alibi inquit: Nunc patefacta est iustitia Dei, de qua testificantur Lex & Prophetæ. Denique regulam tradit, quæ nos severissimè ad hæc testimonia alligat: Si quis aliud Euangelium docuerit, anathema sit.

Hæc dicta & exempla diligenter meminerimus ad refutandos omnes opiniones, quæ conuellere & labefactare conantur dignitatem & efficaciam ministerij à Deo instituti. Sciamus vbi quærenda sit veritas, videlicet non in aliis speculationibus & reuelationibus extra verbum, sed in solo verbo, quod Apostoli in orbe terrarum sparserunt.

De sexto Loco.

Etsi doctrina de causis calamitatum alibi integrè traditur, tamen iam breuiter recitabo, cur necesse sit Ecclesiam & pios singulos mirando consilio Dei ingentibus ærumnis premi atque exerceri. Prior est, ut singuli admittant suis & alienis ærumnis agnoscant propriam infirmitatem, deponant fiduciam sui, minus sint audaces ad mouendum aliquid sine vocatione. Sicut Pompeius dementatus superioribus successibus mouit bellum ciuile: Sic Salomon in rebus secundis factus est negligenter. Sic & alibi dicitur 2 Corinth. 1: Responsum mortis in nobis habuimus, ut non

non simus confidentes in nobis, sed in Deo.

Altera causa est, vt conficiatur potentia Dei in nostra infirmitate. Soleo mihi s̄epe ante oculos proponere mirandum spectaculum, quod Plin. lib. 8 cap. 16 narrat de leone & gallo. Etsi enim leo omnibus animantibus antecellit, tamen hoc, tale, tamque s̄euum animal, vt Plinij utar verbis, gallinaceorum crista cantusque terrent, adeò quidem, vt gallo voce audita mox in fugam leo vertatur.

Non frustra Deus hanc mirandam imaginem pugnantis galli cum leone proposuit. Voluit enim nos haud dubiè cùm de imbecillitate nostra, tūm de victoria aduersus diabolum commonefacere. Ut igitur gallus gallinaceus nulla re plus confidit, quam cantu misero quidem illo, & penè ridiculo: Ita nos miseri & imbecilles nullum præsidium satis firmum habemus opponendum diabolo hostiliter grassanti, nisi inuocationem, & huic cognatam vel potius semper adiunctam verbi diuini meditationem. Ideò Petrus inquit: Resistite ei fortes in fide. Et Paulus Eph. 6 præcipue nobis commendat gladium Spiritus sancti, hoc est, verbum Dei. Quamobrem fide & inuocatione in nostris ærumnis confugiamus ad Filium Dei. Hoc cùm faciemus, experiemur nos verè iuuari & liberari.

Septimus & postremus

Locus.

Probo veterem & uisitata m distinctionem

Paradyſi in terrestrem & cœleſtem. Eſt enim consentaneum, Paradyſum, de qua ſcribitur Genes. 2, fuiſſe hortum amanissimum, vnde & nomen iſum apud Græcos ductum eſt, & loca illa complexum eſſe, in quibus poſt diluuium fuit pulcherrimus tractus orbis terra-rum, Sodoma & vicina regna. Nam vt diluuium mundo vniuerso attulit mutationem, ita hortum hunc longè optimum & pulcherri-um euertit & diſipauit.

Paradyſus verò cœlestis, quā Paulus hīc ap-pellat tertium cœlum, atq; illuc ſe abruptum eſſe ait, eſt locus beatæ Ecclesiæ, Angelorum, Prophetarum, Apostolorum, & omnium qui æterna Dei conſuetudine & conſpectu fruun-tur. De hac Paradyſo Christus ad latronem ait: Hodie mecum eris in Paradyſo.

Sequitur alia quæſtio multò diſſicilior ad explicandum, de ſtimulo carnis, qui Græcis dicitur σκάλος, id eſt, palus. Hæc appellatio fi-gnificat ſummam acerbitatē tentationum, de qua variæ ſunt & diſcrepantes doctiſſimorum hominum ſententiæ. Alij enim cenſent atq; diſſerunt, recordationē & memoriam triftiſſimi peccati, quo Paulus ante conuerſionem ſe polluit, cauſam fuiſſe acerbifſimi doloris. Hæc enim viſ eſt atque natura peccati, vt tunc quoque, cum remiſſum eſt, non leuiter conſci-entias excruciet, vt Dauid poſt reſtitutionem ſemper in omni vita ſenſit dolorem, ortum ex recordatione ſuī ſceleris.

Alij verò iudican, hunc σκάλον a fuiſſe fu-bitam

bitam animi consternationem , qualis describitur Ioh. 12 , & in multorum historijs similia exempla leguntur . Sed nos de hac re nihil temerè pronunciemus , præsertim cùm temeritate nihil sit turpius , & Paulus non disertè hanc tentationem describat , &c.

*Finis Epistole , die 14 Februarij , anno Christi
M D C C L V I .*

DOMINICA QVIN- QVAGESIMÆ.

Epiſtola i Corinth. 13.

S I linguis hominum loquar & angelorum , charitatem autem non habeam , factus sum a resonans , aut cymbalum tinniens . Et si habeam prophetiam , & nouerim mysteria omnia , omnemque scientiam , & si habeam omnem fidem , adeò ut montes loco dimoueam , charitatem autem non habeam , nihil sum . Et si insumam in alimoniam omnes facultates meas , & si tradam corpus meum , ut comburar , charitatem autem non habeam , nihil utilitatis capio . Charitas patiens est , benigna est , charitas non inuidet , charitas non est procax , non inflatur , non est fastidiosa , non querit quæ sua sunt , non irritatur ,

non cogitat malum, non gaudet de iniustitia,
sed congaudet veritati: omnia suffert, omnia
credit, omnia sperat, omnia sustinet. Char-
itas nunquam excidit, siue prophetia abole-
buntur, siue lingua cessabunt, siue scientia a-
bolebitur. Ex parte enim cognoscimus, & ex
parte prophetamus. Ast ubi venerit quod
perfectum est, tunc quod ex parte est abolebi-
tur. Cum essem puer, ut puer loquebar, ut
puer sentiebam, ut puer cogitabam. At ubi
factus sum vir, aboleui puerilia. Cernimus
enim nunc per speculum in anigmate, tunc
autem facie ad faciem: nunc cognosco ex par-
te, tunc vero cognoscam, quemadmodum co-
gnitus sum. Nunc autem manet fides, spes,
charitas, triahac: sed maxima in his chari-
tas.

LOCI PRAECIPVI TRES.

- I. Necessariam esse nouam obedientiam post acce-
ptam reconciliationem, nec esse quiddam à-
diáphorou, ut multi iudicant, sed conspicere
oportere in officiis dilectionis erga proximi-
mum.
- II. Quid interfit inter noticiam, qua Deus in hac
vita agnoscitur, & inter eam sapientiam,
qua fruemur in eterna societate cum Deo.
- III. Collatio & discrimin barum virtutum, Fidei,
Spei, & Dilectionis.

De pri-

De primo Loco.

NON amplectamur hunc errorem contumeliosum in Deum, blandientes nobis ipsi, quasi fide iusti simus, etiam si perseveremus in delictis contra conscientiam: sed intelligamus & iustitiam fidei & iustitiam bonæ conscientiæ, & simus cuique locum tribuamus, & sciamus, oportere utramque in saluandis existere.

Iustitia fidei accipit remissionem peccatorum, & reconciliationem, & hereditatem vitæ æternæ propter Christum, & fide placet persona propter Christum. Deinde necesse est, adesse iustitiam bonæ conscientiæ. Quia Deus postulat talem obedientiam, & contristatur Spiritus sanctus delictis contra conscientiam. Et Iohannes dicit: Qui facit peccatum, ex diabolo est.

Qualis autem sit hæc inchoata obediëtia, & quomodo placeat Deo in credentibus, aliâs saxe dicitur. Nunc tantum commonefacio lectorem, & hunc locum meminerit ad refutandum perniciosum errorem prophanorum hominum, & Antinomorum, qui valde tument persuasione sanctitatis, & sibi placent, se mirantur, & se afflatos esse Spiritu sancto iudicant, cum tamen multum in eis sit vanitatis, superbiz, leuitatis, curiositatis, cùmque suis affectibus & ineptiis indulgeant.

Porro firmissimum hoc afferri videtur, cur negent aduersarij, hominem iustum esse:

Quia

Quia Paulus clare inquit : Si omnem fidem
habeam, dilectionem autem non habeam, ni-
hil sum. Ita enim censem, itaque differunt:
Quod nihil est, non iustificat.
Fides sine operibus nihil est :
Ergo, Fides sine operibus non iustificat.

Respon.

Nullum est argumentum, propter fallaci-
am compositionis & diuisionis. Nam particu-
la (Sine operibus) determinat aut subiectum,
aut prædicatum. Quod si refertur ad subie-
ctum, id est, ad fidem, falsa est oratio: Quia fi-
des cogitatione magis à dilectione quam re-
separari potest. Sunt enim inter se non aliter
colligatae atque implicitae, quam calor ignis
cum luce coniunctus est, ab eoque tantum
mente & cogitatione distinguitur.

Quamobrem ineruditè dicitur, nulla fu-
se bona opera latronis emendati in cruce. Ha-
buit enim conuersus multas virtutes: pri-
mùm contritio ipsa, & dolor propter pecca-
tum, & confessio tribuens Deo iustitiam, sunt
testimonia veræ in eo dilectionis Dei. Deinde
est dilectionem Dei & multa bona opera con-
iuncta esse. Accedit & intellectus doctrinæ
de cruce & patientia. Postremò & externa
bona opera habet, confessionem peccati sui
& iusti iudicij Dei, inuocationem Dei, & ob-
iurgationem aduersarij. Longè igitur supe-
rat sapientia & virtutibus non solum Pharisæ-
os, sed etiam Apostolos.

Sin

Sin autem particula exclusua referatur ad prædicatum, id est, ad iustificationem, vera est sententia, hominem iustum esse, non propter vias virtutes, sed propter Filiū Dei, quem sola fide amplectitur, sicut in Psalmo dicitur: Oscu lamini Filiū: Beati omnes qui cōfidunt in eo.

Sequitur ut de confirmatione minoris dicendum sit, quæ sumpta est ex 13 cap. 1 ad Corinthi: Si omnem fidem habeam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Hæc proposi-
tio cùm sit hypothetica, id est, conditionalis,
nihil ponit, ut manifestum est, nisi in partes
resoluta. Est enim admirabilis quædam natu-
ra atque vis talium propositionum, propter
continuationem seriēmque partium. Quæ si
inter se colligantur, interdum veræ sunt, ra-
meti fieri potest, ut singulæ categoricæ sépara-
tim consideratæ abhorreant, propter manife-
stam absurditatem, ab animorum atque auri-
um approbatione. Ut, Galat. 2 dicitur: Si ho-
mo iustus est operibus legis, Christus frustrè
mortuus est. Hæc tota oratio vera est propter
connexionem, quam efficit particula, Si; qua
remota, ambæ partes condemnandæ sunt va-
nitatis. Neque enim Christus temerè mortu-
us est, neque quisquam hominum Deo pla-
cat, neque ab eodem cooptatus in collegium
vitæ æternæ propter opera legis.

Talis est & illa vulgata cauillatio in scho-
lis, qua exempli causa vtuntur: Si asinus vo-
lat, habet alas. Hanc totam orationem nemo
vel mediocriter doctus ignorat veram esse,
cùm

cum ei praeposta sit particula conditionalis.
Partes autem singulæ, remota copula, procul
ab re ipsa atque à veritate distant, cum repu-
gnent & aduersentur naturæ asini, qui nec a-
las habet, nec volat.

Redeo igitur ad locum Pauli, à quo digres-
sa est oratio. Fateor hanc propositionem: Si o-
mnem fidem habeam, &c, veram esse sine ~~ad-
iutori~~. Est enim visitatum, ~~ad iuvata~~ proponi for-
ma hypotheticæ orationis. At singulæ catego-
ricæ nullo modo ad veritatem propensæ sunt.
Neque enim Paulus omnes partes fidei ha-
buit, omniumque partium summos gradus,
nec fides priuata est dilectione omni, aliisque
virtutibus.

Spero ex his quæ dixi, non esse obscuram
vim particulæ exclusiæ, sine operibus, sine
dilectione. Neque enim sententiaz huius pro-
positionis; Fide iustificamur sine operibus le-
gis, vis ea est, ut aliaz virtutes cum fide coniun-
ctæ non sint: sed opinio meriti excluditur, &
mentes à contemplatione propriarum virium
traducuntur ad conspectum vnius Mediato-
ris. Hortor autem studiosos, ut in bonis arti-
bus & cognitione dignis multum operæ cu-
ræque ponant. Hæc enim & alia exempla gra-
uiora ostendunt, controversias religionum si-
ne multiplici eruditione explicari non posse.

De secundo Loco.

Diligenter obseruandæ sunt in omnium
sapien-

sapientum scriptis hæ sententiæ, quæ taxant
humanæ mentis arrogantiam, & nos reuo-
cant ad modestiam, agnoscentem quantum
nobis desit de maximarum rerum absoluta
& perfecta cognitione. Denique in nobis a-
morem excitant vitæ illius & sapientiæ, qua-
lis futura est in nobis in altera vita.

Præclarè apud Platonem Socrates: Homi-
nes, inquit, aut pauca, aut nihil sciunt. Quod
ait, nos pauca admodùm habere cognita &
percepta, id verum est, & omnium sanorum
iudicio comprobatur. Omnes enim artifices,
& optimus quisque, agnoscunt, exiguam il-
lam & pereuentem cognitionem procul abe-
sse ab Idea artium, quæ latissimè patet, & infi-
nitum quiddam complectitur. Quod verò
inquit; Homines nihil scire, id *ἰωρέολικῶς* di-
ctum est, & correctione indiget.

Scimus enim Deum immensa bonitate se-
se patefecisse generi humano certis & illustri-
bus testimoniosis, vt arcanam voluntatem de-
nostra salute nobis declararet: Legem de cœlo
promulgavit, misit Filium, & addidit testi-
monia, resuscitationem mortuorum, & alia
facta, quæ constabat solius Dei opera esse. Ius-
fit & clara voce audiri Filium, inquiens: Hic
est Filius meus dilectus, quo delector, hunc
audite.

Nec verò frustra & sine causa toties tamq;
claris testimoniosis se patefecit Deus. Non exi-
stimus hæc inania phantasmaria, aut præsti-
gias, aut ludos esse. Magnas & serias res egit
Deus,

Deus. Ostendere voluit, se verè affici cura nostra salutis. Voluit & suæ vocis ac doctrinæ testimonia nobis tradere, in qua cœlestia munera & societatem æternæ beatitudinis nobis impertit.

Nec magis Patres, Prophetas & Apostolos in illis ipsis familiaribus congregatis acquirescere voluit, quām in ipsa doctrina velit omnes homines omnium ætatum acquiescere. Ut corāt manifeste in lumine vidit Moses Deum, stans in rupe: sic tecum certò colloqui sciens, quoties hos ipsos libros legis Prophetarum & Apostolorum, quos Deus Ecclesiæ tradidit, ut perpetuò eius vocem audiret. Longè igitur ab re ipsa distat atque à veritate Socratis oratio, quæ dicit, homines prorsus nihil scire: quanquam verum est, paruam esse cognitionem, sed tamen necessariam & salutarem Dei & aliarum rerum, quæ nobis in hac vita contingit.

Adscribam verba nō minus spectati, quām eruditii viri Iohannis Capnionis, cuius ego memoria multum iudico tribuendum esse. Eius verba sunt hæc, de studiosis legum ciuium: Hi, inquit, primo anno ad omnia se responsuros profitentur: altero anno incipiunt de negotiis paulò obscurioribus dubitare: tertio demū anno ingenuè confitentur, se penitus nihil scire, & deinceps rectè & utiliter demū discunt.

Hæc oratio longè venustissima ad omnia artium studiosos accommodari & potest & debet.

debet. Quid enim visitatius est tyronibus Theologis, qui nondum progressi ultra primas litteras statim falsam scientiam persuasionem induunt?

Sed hos non minus verè, quam grauiter obiurgat Paulus, inquiens: Nos tantum ex parte prophetanus in hac vita, & tanquam pueri de maximis rebus balbutientes loquimur. Denique propter mentis nostræ caliginem omnes articuli tanquam quibusdam fasciolis inuoluti videntur. At in vita æterna non solùm absolute & perfectè ac tanquam viri de omnibus rebus philosophabimur, sed omnia coram sine inuolucris cernemus.

Hac discrimina semper in animis nostris circumferamus, ut eorum cogitatione nos ad modestiam excitemus, & simul ardeamus in credibili cupiditate migrandi in illam schoolam, ubi fruemur æterna consuetudine Christi, & illius augusti cœtus Angelorum, Prophetarum, Apostolorum & cæterorum piorum.

Quemadmodum igitur naturæ rerum studiosi, ac præsertim medici, nequaquam aut ingenio assequi, aut usu possunt omnia. (Quare refactum est, ut ab illis & quidem nō paucis, tūm in perscrutationibus, tūm in quæstionibus dicatur, natura vīque propria comparatum sic esse, reisque illi, de qua queritur, peculiariter attributum): Ita interpres scripturarum, Propheticæ & Apostolicæ, crebris sermonibus has & similes voces usurpare solent; Arcanam Dei sapientiam, quæ in singulis ar-

ticulis lucet, non posse aut cogitatione humana penitus comprehendendi, aut explicari verbis. Etsi enim nosse omnes pueros & senes sumam doctrinæ celestis necesse est: tamen non de nihilo est, quod legimus apud Dionyrium ab Apostolo Bartholomæo dictum esse: Euangelium esse longum & breue. Summa breuiter tradi potest, sed partium singularium exquisita & accurata enarratio immensum quidam continet. Quare multa membra celestis sapientiae, ad illam scholam de qua dixi, releganda sunt.

Epistola Petri magna ex parte satis aperta & luculenta est, sed locus ille in capite tertio de Christi descensu ad inferos exercuit omnes doctos omnium ætatum in Ecclesia. Idem dici potest de principio & fine concionum Ezechielis, in quibus et si summæ rerum aliquando à piis & exercitatis intelliguntur, tamen perdifficilis & obscura est singularium partium accommodatio. Ex quo intelligi licet, quām verè à Paulo dictum sit: Nos tantum ex parte prophetamus, id est, mancam & inchoatam scripturæ enarrationem habemus, & velut pueri elementa discentes præparamur ad illam scholam, in qua de singulis rebus, quid sit Deus, qualis sit eius natura, qualia sint eius consilia in gubernatione, cur tantam multitudinem hominum perire sinat, cur Ecclesia Dei in hac vita tantis ærumnis subiecta sit, colloquemur yberius.

Cūm

Cum vero addit: Hic in enigmate, illic facie ad faciem; haud dubiè interpretatur histotiam valde abstrusam & arcana, quæ describitur Exod. 33. Cum enim peteret Moses: Offende mihi gloriam tuam; hic respondet Deus: Faciem meam videre non poteris, sed ecce locus apud me, ubi consistes innixus petra, & protegam te dextera mea donec transiero, & auferam manum meam, & videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.

Vides proponi dulcissimam picturam, in qua latet arcana doctrina de illustri cognitione Dei, qua cernitur facies Dei. Ut Philippo Petenti à Christo, sibi ostendi Patrem, respondet Christus: Philippe qui videt me, videt & Patrem meum: Ita Moses petens illustriorem inspectionem Dei, deducitur ad verbum in Ecclesia reuelatū de Christo, & docetur, quomodo velit Deus agnoscī usque ad glorificationem seu resurrectionem mortuorum.

Cum addit: Non poteris faciem meam videre, sed stabis in foramine petra, hoc est, insistes Christo seu Euangilio, donec transeam, & videbis posteriora mea: Ita Ecclesia nondū potest videre Deum, seu habere gloriam quæ promissa est, sed adhuc stans supra petram, id est Christum, fide, & in hoc foramine subiecta cruci, expectat gloriam, donec Deus transferit, id est totam Ecclesiam consummauerit. Post hunc transitum restabit alia æterna gloria, quæ coram cernemus Deum, sed nunc tantum videmus posteriora, hoc est, in verbo cum agnoscimus.

Hæc breuiter recensui, vt pij hinc petant consolationem, qua se sustentant atque confirmant. Sciant seruari Ecclesiam, Deo mirabiliter protegente eam sua manu in his mundi tempestatibus, & transeunte usque ad eum diem, quo glorificanda est. Quare confirmemus animos, & certò teneamus hanc sententiam, quod Deus sit seruatus Ecclesiam, que retinet doctrinam traditam à Christo, Prophetis & Apostolis. Sicut testatur dulcissima promissio apud Esaiam, cum inquit Deus: Hot fœdus meum cum eis, spiritus meus qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent à te, nec ab ore seminis tui, dicit Dominus, usque in sempiternum. Sciamus igitur & nostris Ecclesiis affuturum Christum sedentem ad dexteram Patris, & regnante etiam inter medios hostes, & seruaturum aliquas reliquias piarum scholarum, etiam mundum oppriment pœnæ & calamitates.

Detertio Loco.

Prodest teneri differentias & definitiones harum virtutum. *Fides* est assentiri omni verbo Dei & promissioni gratiæ, & confidere, nos iuxta promissionem à Deo recipi & exaudiri. *Spes* est expectatio futuræ liberationis. Differunt perspicue spes & fides eo, quod fide agnoscimus verbum Dei, & accipimus præsens beneficium, scilicet, remissionem peccatorum. At spe expectamus integrum liberationem.

Dile-

Dilectionem Iohannes definit in Epistolac. 5. Hæc est dilectio Dei, ut mandata eius seruemus. Estigitur dilectio Dei, seruare mandata eius cum quadam latititia, quæ oritur ex agnitione misericordiæ, beneficiorum & præsentia Dei curantis & recipientis nos propter Filium. Propter hunc Iohannis locum scholastici doctores de dilectione, ut Philosophi de iustitia vniuersali loquuti sunt.

Sed cur nominat Dilectionem maximam virtutem? Confert virtutes in gubernatione, in qua dilectio sæpe maiores res, magisque salutares Ecclesiæ efficit, quam fides. Ut in Iona, haec fuit magna & excellens virtus, obsequi voluntati Dei, & hereditatem regni, quæ ipsi deberi videbatur, alteri concedere. Haec virtus magis profuit populo Dei, & reuera pulchrior fuit, quam fides illa, qua hostes Ethnici ab illo casi sunt & fugati.

Primum igitur collatio perspicuè ostendit, maiorem esse dilectionis, quam fidei pulchritudinem ac venustatem.

Accedit & altera causa, cur dilectio maior sit fide & spe, videlicet stabilitas seu perpetuitas. Nam aliæ virtutes tantum in hac vita sumum munus exercent. Ut enim Aristoteles inquit de generatione, qua forma substantialis acquiritur: Habitibus præsentibus in materia, cessare actum, id est, agitationem. Ut cum anima embryonem informauit, cessat embryonis motus & agitatio ad formam illam acquirendam. Ita rebus in vita æterna coram

exhibitit, nullum tenebit locum fides, quæ, ut
Paulus ait, είλεγχος & βλέπομένων. Et huic
cognata vel potius adiuncta est spes, quæ res
futuras expectat.

At dixerit quispiam: Si dilectio est omnium
virtutum maxima, & aliis antecellit non
solum stabilitate, sed & forma, pulchritudine
& dignitate; consentaneum est, homines magis iustos esse dilectione, quam fide? Respon-
Si dilectionis absoluta & perfecta idea in no-
bis arderet, quemadmodum ardebit in vita
æterna extincta fide & spe, haud dubiè esse-
mus iusti hac ipsa virtute, perinde ut Adam
ante lapsum placuit Deo, gerens imaginem
Dei, quam Paulus enarrat, inquiens: Condi-
tus est homo in iustitia & sanctitate vera.

Sed hæc iustitia dilectionis etsi h̄c incho-
anda est, tamen adhuc valdè imbecillis & exi-
guæ est. Ideò oportet consolationem illam al-
teram proponi, quod fide propter Filium Dei
placeamus, sicut Galat. 5 dicitur: Nos spiritu
ex fide spem iustitiae expectamus, id est, iusti-
tiæ integrum, quam speramus, nondum su-
mus adepti, sed fide interim placemus, nouam &
æternam lucem, iustitiam & vitam, &c.

*Finis Epistole, Anno à natali Christi 1547.
die 23 Februario.*

DOMI-

DOMINICA INVO-
CAVIT.

Epistola 2 Corinth. 6.

Quin & adiuuantes obsecramus, ne in va-
cuum gratiam Dei receperitis. Dicit
enim: In tempore accepto exaudiui te, & in
die salutis succurri tibi. Ecce nunc tempus
acceptum, ecce dies salutis. Ne quam usquam
demus offensionem, ne reprehendatur mini-
sterium, sed in omnibus commendemus nos-
ipos ut Dei ministri, in necessitatibus, in an-
xietatibus, in plagis, in carceribus, in sediti-
onibus, in laboribus, in vigiliis, in ieuniis,
in puritate, in scientia, in animi lenitate, in
benignitate, in Spiritu sancto, in charitate
non simulata, in sermone veritatis, in poten-
tia Dei, per armam iustitiae dextra ac sinistra,
per gloriam & ignominiam, per conuicia &
laudes, quasi impostores, & tamen veraces:
quasi ignoti, & tamen noti: quasi morien-
tes, & ecce viuimus: quasi correpti, & non
occisi: quasi dolentes, semper tamengauden-
tes: quasi pauperes, multos tamen ditantes:
ut nihil habentes, & tamen omnia possi-
dentes.

DOMINICA

LOCI TRES.

- I. *De causis actionum spiritualium.*
 II. *Reprehensio humanæ securitatis, quæ differt in seram commissa piacula mortem, ut Verg. ait.*
 III. *Qualis debeat esse Episcopus.*

De primo Loco.

 Erxes apud Herodotum in grauisima deliberatione inquit: ἀλλὰ θεός ὅτε δύτω ἄγει, καὶ αὐτοῖς ἡμῖν τὸ ἀλλα
ἐπέπεστι συμφέρεται ἐπὶ τῷ ἀμείον, id est, Quando Deus actiones hominum adiuvat, nōsque ei strenuè obtemperamus, fieri non potest, quin res atque negocium perducatur ad exitum salutarem. Sic & Plato ait in libro 4 de legibus, ὃς θεός μὲν πάντα, καὶ μετὰ
θεῶν τὴν καὶ τὸν ἀνθρώπινα δικαιοβεγνᾶσι ξύμ-
παντα. οὐκερώτερον μὲν τρίτον ξυγχωνῆσαι τούτοις
δεῖν ἔπειδη τέχνης, id est, Recte dicit, quisquis
affirmat, Deum quidem & momenta temporum,
& vniuersas res humanas gubernare:
placidius tamen est concedere, comitari hæc
oportere artem. Nota est & Aeschinis sententia in Persis: ὅταν πένθη τις, τότε οὐ θεός σύναπτε-
ται, id est, Quando aliquis conatur, tunc Deus
simul adiuvat. Ita hoc loco Paulus iubet ca-
vere, ne gratiam Dei frustra acceperimus.

Etsi enim Deus anteuertit nos, vocat, monet, adiuvat, tamen cùm inchoatur in nobis
fanatio naturæ nostræ, sequi nos vult ductum
& au-

& auspicio Dei. Nosigitur viderimus, ne repugnemus. Constat enim, peccatum oriri à nobis, non à voluntate Dei. Pellantur ergo è medio ineptiæ Stoicæ & Manichææ, quæ omnem actionem voluntatibus hominum detrahunt, præsertim cùm Paulus disertè nos vocet *συνέγειας* Dei: Nam ea res, quæ tantum habet vim patiendi, non secum luctatur ipsa, nec aduersarum vincere studet. At piorum voluntates vtrumque genus certaminis experuntur, vt exempla Abrahæ, Iacob, Ioseph, & aliorum ostendunt.

Quare non existimandum est, voluntatem hominis prorsus esse ociosam, tantumque pati impressiones nouarum qualitatum, sicut cæré imprimitur imago. Neque verò sumus ita leues & inconsiderati, vt arbitremur, voluntatem hominis ex fæse bene aliquid agere: sed vim atque efficaciam omnem conversionis nostræ ad Deum Spiritui sancto libenter damus atque tribuimus. Intervim tamen vt acuatur nostra diligentia, quæ cauet securitatem, graui censura reiicimus Manichæam delirationem, quæ voluntatem nostram priuat omni actione. Hanc simpli-
cem sententiam teneamus de causis actionum spiritualium, scilicet de verbo Dei, Spiritu sancto, & voluntate hominis adsentiente verbo, non indulgente dubitationi, diffiden-
tiae, securitati carnali, & caliis vitiosis affectibus;
denique non sinamus nos abduci ad alias di-
putationes, quæ sunt obscuræ, & labyrinthos

habent inxtricabiles. Cùm autem hæc doctrina paulò accuratiùs tradita sit, in titulo de vi-ribus humanis, illinc assumant studiosi, quæ ad hunc locum pertinebunt.

De secundo Loco:

Homines in hac caligine & prauitate na-
turæ horribiliter indulgent carnali securitati,
præsertim cùm est tranquillitas & quies. Ac
plurima exempla summorum hominum pro-
posita sunt, qui securitate lapsi sunt & pœnas
sibi & posteris accessuerunt, vt Adam, Eua,
Dauid, Salomon: & de toto populo dicitur:
Sedit populus manducare & bibere, & surre-
xit ludere, id est, cùm essent saturi & securi,
obliti sunt Dei, & facti sunt negligentiores &
petulantiores. At circumit diabolus intentus
in occasiones, vt incautos impliceat lapsibus
inxtricabilibus. Texit enim longam telam,
videt ex uno lapsu multa mala secura esse.
Vtex lapsu Adæ, Dauidis, Salomonis, qua-
nta moles peccatorum & calamitatum secura
est?

Hæc exempla, & quotidianæ nostræ cala-
mitates semper nobis in conspectu sint, ac nos
de horribili ira Dei aduersus peccatum admo-
neant, vt timor & precatio pellant securita-
tem, vt Salomon inquit: Beatus qui semper
est pauidus. Item, Orate ne intretis in tenta-
tionem.

Etsi igitur abhorremus à Catharorum per-
nicio-

nicioſo dogmate, qui negarunt, lapsos post baptismum iterum cōſequi remissionem peccatorum: tamen ex altera parte non confirmemus ſecuritatem, ſed ſimus vigilantes & in tenti, repugnemus naturæ infirmitati, & acer- rima cura caueamus inſidias diaboli, ſicut Pe- trus moneret: Aduersarius vester tanquam leo rugiens circumit, quærens quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide.

Porrò ne quis in eam cogitationem veniat, in quam multi incident, pœnitentiam diſſerti posſevſque ad extreſum vitæ diem: tres cauſæ grauiſſimæ cogitentur. Prima eſt, hu- manæ naturæ imbecillitas & fragilitas. Iam enim miseri homines poſt lapſum nihil aliud ſunt, quæm inania ſimulachra, & leuis ſumus, ut breuiſiſime dicit Ulyſſes apud Sophoclem:

*ἴρω τὸ ίματι ὃνδεν ὄντας ἄλλο, πλειστὸν δέος περι-
ζημένη καφλῶ σκίαν.* Et Seneca in Thyeste o- ptimiſ verbiſ deſcribit hanc breuem & fuga- cem mortalium vitam:

Nemo tam dihos habuit fauentes

Craftinum ut poſſet ſibi polliceri.

Res Deus noſtras celeri citatas

Turbine verſat.

Quid porrò magis ad omnes caſus ſubito- rum periculorum expoſitum eſt, quæm natu- ra hæc miſera & mortalif? Deploremus ingen- tem imbecillitatem naturæ humaṇe, & ſimus vigilantiores aduersus illecebras, & Diaboli inſidias: meminerimus ſingula peccata mere- ri ſu-

ri subitam mortem, sicut adulteri & homicidi s^ep^e in ipso facto subito interficiuntur.

Secunda causa, quæ nos impellere debet, vt in præsentia ad Deum redeamus, his verbis à Paulo & Esaiā significata est: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis; quasi dicat: Deus immensa misericordia se patefecit, & misit Filium suum, vt dulcissimo osculo miseram & ærumnosam hominum naturam amplectatur, eique iustitiam & vitam reddat. Iam cogita quantum scelus sit, defugere osculum seu amplexum Filij Dei, & huius liberatoris munera nolle accipere, sed horribili securitate hanc tantam bonitatem contemnere, aut negligere: quod nihil est aliud, quam pro osculo dare ei colaphum.

Quapropter mens excitanda est recordatione talium beneficiorum, & corrigenda securitas, statuendūmque, verè tibi donari remissionem peccatorum propter hunc Filium gratias, non propter tuam dignitatem, aut tuas virtutes, & hac fiducia ad Deum accedendum est, & ab eo bona petenda & expectanda sunt, sicut in Apocalypsi dulcissimè scriptum est: Age pœnitentiam, ecce ego sto ante ostium & pulso, si quis audierit vocem meam, & mihi aperuerit ianuam, intrabo ad illum, & cœnobocum illo. O gratum, periucundum & salutarem hospitem, cui fores nostræ semper patere debent, nec vñquam committendum est, vt nostra petulantia excludatur aut excutatur.

Tertia

Tertia causa est, quod vera & salutaris pœnitentia non tantum à nostra voluntate oritur: sed plures causas requirit, scilicet verbum Dei, & natuam eius sententiam: deinde motum cœlestem ac diuinum Spiritus sancti, si ne quo nec veritas nota esse cuiquam potest, nec beneficiorum Dei ad nos pars vlla pertingere. Fieri autem potest, vt tibi propter ingratitudinem & contumaciam eripiatur lux cœlestis doctrinæ, atque in huius locum fraudes dolique succedant, quales sunt Iudæorum, Turcarum, Monachorum & aliorum pharasicorum corruptelæ. His tenebris tua mens irretita, ignorabit veram & salutarem rationem redeundi ad Deum.

Quid? quod spir. sanctus non datur nisi peccantibus. Neq; enim vult habitare aut potest in corde seculo, & contumaciter repudiante omnes promissiones & comminationes diuinæ, quas iudicat tantum fabellas esse, aut inania terriculamenta. Quare ne idem tibi superveniat, quod Iudæ, & aliis securè continentibus iudicium Dei accedit, hoc ipso tempore, quo & lux Euangelij accensa est, & Spiritus sanctus sua munera omnibus offert, pœnitentiam agito, & vt Christi verbis utar, dum lucem habes, ambulato, ne tenebris & densissima caligine tuum pectus inuoluatur. Hæ causæ, quas breuiter recensui, apud omnes pios & moderatos & solent & debent valere plurimum.

De ter-

Detertio Loco.

Admonet Episcopos de suo officio, & præcipit quibus virtutibus debeant tueri autoritatem, & ornare ministerium. Estque egregium præceptum tūm cæteris gubernatoribus vtile, tūm maximè his qui Ecclesiæ regunt. Requirit enim sex virtutes; puritatem doctrinæ, inculpatos mores, iusticiam & lenitatem in castigandis sanabilibus, seueritatem in castigandis contumacibus, constantiam in afflictionibus, castitatem. Hunc catalogum proponit virtutum, quæ præcipue existere in gubernatore Ecclesiæ debent.

Prima autem virtus est & præcipua puritas doctrinæ, quam satis constat in doctore præcipue necessariam esse.

Secunda est morum integritas. Hæc in genere complectitur virtutes priuatas, ut quotidiana exempla pietatis, sermones pios, iustitiam in communi consuetudine vitæ, quæ cauet, ne corporibus aut fortunæ aliorū noceamus, veritatem in seruandis pactis, temperaniam & modestiam in sermone & omni cultu morum, beneficentiam, parsimoniam, diligentiam regendæ familiæ, & similes priuatas propriæ gubernatoris.

Estigitur tertia, dilectio, de qua sæpe solet Paulus concionari, ut Colossi. 3 vocat eā vinculum integratatis. Præcipue autem hæc dilectio est

est in iudicado candor, & in gubernatione lenitas. Candor autem est iustitia quædā, hoc est, non insidiari aliis, nec calumniosè deprauare aliorū dicta & facta, sed dextre interpretari, nec excitare discordias sine necessitate, sicut olim rixæ ortæ sunt de vocabulo ἵποσάσως, cùm quidam nollent ἵποσασιν pro persona usurpare. Et sèpè omnibus ætatibus homines morosi aut ambitionis magna certamina excitarunt de logomachiis, aut calumniosè interpretantes aliorum dicta, atque hīc videndum, ne ira aut odio corrupti sinamus rectum iudicium.

Deinde etiam lenitate opus est in corrigendis erratis sanabilium, quia longè aliter tractādi sunt homines dociles aut infirmi, aliter pertinaces & præfracti: sicut Paulus evidenter p̄cipit Galat. 6 de lapsu fratris: Vos qui spirituales estis, emendate talem spiritu lenitatis. Et ad Corinth. ait: Data est nobis potestas ad ædificationem, non ad destructionem. Verat igitur s̄uitiam exerceri in alios, qui sunt sanabiles.

Quarta virtus, severitas in castigandis pertinacibus. Hæc virtus non est contraria superiori, sed vicina: Quia insanabiles, qui mordicū tenent prava dogmata, & alios inficiunt, aut quorum exempla nocent reliquis, necesse est remoueri à cōmuni cōtu, iuxta illud; Sed ut immedicable vulnus ense recidendum est, ne pars sincera trahatur. Sic laudatur Alexander Episcopi & Athanasij severitas, qui hæreticis

ticis arte occultantibus & mitigantibus falsa dogmata, acerrimè aduersati sunt. Et reprehenditur Osius Cordubensis Episcopus, quod in synodo Syruensi approbavit symbolum factum ab Arianis, in quo etsi expressè nihil videbatur absurdè aut impiè positum, tamen rectè autoritas & veritas prioris symboli lædebatur. Sæpe etiam in imperitis indulgentia & nimia remissio non minus nocet, quam a speritas nimia, seu crudelitas.

Quinta virtus est patientia seu magnitudo animi in periculis. Cæteræ virtutes, quas superò recensuit, magis affines sunt iustitiae. Hæc fiducia ad fortitudinem pertinet. Ut autem militi seu duci non solum iustitia, sed etiam fortitudine opus est, ita cum in reliquis Christianis, tum verò præcipue in gubernatore Ecclesiastico constantia esse debet, quæ pergit facere suum officium, nec minis, terroribus, calumniis, aut suspicionibus fractus deserat Ecclesiam, aut querat non concessa præsidia, aut conetur opprimere malis artibus aduersarios, sed magnitudine animi & fidei contemnat terrores ac superstitiones, & sciatis Deum velle, ne Ecclesia ab humanis præsidiis pendeat.

Expectet igitur à Deo defensionem, & in genti animo pericula sustineat, nec recuset tolerare, si quid erit patiendum. Hac fide oportet hunc heroicum virum gubernatorem Ecclesiæ munitum & septum esse, quem hic describit. Talis fuit fides in Moysè, in Dauide, in Esaia,

Esaia, & aliis similibus præstantibus gubernatoribus. Hac fide præluceant doctores Ecclesiæ, ut non abiiciant Euangeliū, exterriti minis: sed sciant, Ecclesiam non posse deleri, etiam si tyranni aliqua membra interficiant, ideoque expectent à Deo auxilium & liberationem.

Sexta virtus est castitas, quæ quid sit, non est obscurum. Est enim vitare libidines à Deo prohibitas. Sed illud considerandum est, nominatim hanc virtutem requiri, quia reliquæ ad dilectionem pertinentes supra complexus est appellatione dilectionis. Deinde libidines cōmagis vitandæ sunt, præsertim in gubernatoribus: Quia scriptura docet, cæcitatem præcipue pœnam esse libidinum: sicut monet Propheta Oseas: Fornicatio & ebrietas auferrunt cor. Et Hebr. 12 dicitur: Sectamini sanctificationem, sine qua nemo videbit Deum. Et ad Rom. 1 scribitur, amentiam seu cæcitatem pœnam esse libidinum.

Ad Ephes. tribuit libidinosis hæc duo, quod habeant corda excæcata, & sino ullo dolore, Impediti cæcitate & securitate carnali, fingunt per temeritatem nouas opiniones in consiliis & negociis, consulunt suis cupiditatibus, luxu, ambitioni, &c. Estque hoc detestabilius vitium, quod excæcati & indurati vix redunt ad pœnitentiam. Quare et si omnes pīj ex animo fugere libidines debent, tamen gubernatores cō debent esse cautores, ne cæcitate

plectantur, quæ maiora & grauiora pericula
& pœnas affert.

Postremò in gubernatore etiam plurimum
scandali parit fama libidinum, & alienat ani-
mos à doctrina, & malos ad imitationem in-
uitat.

Finis Epistole, die 3 Martij, anno 1547.

DOMINICA REMI- NISCERE.

Epistola i Thessal. 4.

Quod superest igitur fratres, rogamus
vos & adhortamur per Dominum
Iesum, quemadmodum accepistis à nobis,
quomodo oporteat vos versari, & placere
Deo, ut abundetis magis. Nostis enim, que
præcepta dederimus vobis per Dominum no-
strum Iesum. Hac enim est voluntas Dei san-
ctificatio vestra, ut abstineatis à scortatione,
& sciat unusquisque vestrum suum vas pos-
sidere cum sanctificatione & honore, non
cum affectu concupiscentiae, quemadmodum
& gentes, quæ non nouerunt Deum: ne quis
opprimat ac fraudet in negocio fratrem su-
um, propterea quod ultor est Dominus de o-
mnibus his, quemadmodum & antea dixi-
mus vobis, ac testati sumus. Non enim vo-
cavit

*uit nos Deus immundiciae causa, sed ad san-
ctificationem.*

LOCI PRAECIPVI TRES.

- I. De Castitate.
- II. De Iustitia commutativa.
- III. De sedulitate & φιληστρίᾳ, id est, studio sedu-
litatis.

De primo Loco.

 Vi de castitate in Ecclesia dicturus
est, huic quatuor quæstiones expli-
candæ videntur. Prima est de man-
dato Dei. Secunda, quomodo pla-
ceat castitas. Tertia de auxilio. Quarta de si-
nibus; qui diligenter eruendi sunt, & ampli-
ficandi.

Primum igitur ordiamur à mandato Dei,
quod seuerissimè præcipit castitatem, id est,
puritatem animi & corporis. Mandatum cla-
rè extat apud Paulum: Thessal. 4. Hæc est vo-
luntas Dei, sanctificatio vestra, ut abstineatis
à fornicatione, & meminerit unusquisque
vestrum, ut possideat vas suum in sanctifica-
tione & honore, & non obtemperet affectibus.
Et Hebr. 12 scribitur: Sectamini sanctificatio-
nem, sine qua nemo videbit Deum. Quare
cogitatione mandati diuini nos ad castitatem
excitemus, & quæ sit vera castitas, discamus
ex testimoniis diuinis, non ex rancidis cano-

nibus. Est enim virtus, quæ vetat omnes commixtiones prohibitas à Deo, nec tantum est in puro cælibatu, sed etiam in consuetudine coniugali, qua seruatur naturæ ordo, quem Deus instituit, qui & coniungi marem & fœminam certa lege, & hos coniunctos non vagari affectibus, nec aliis modis contaminari voluit.

Secundò: Etsi semper manent in renatis in hac vita peccata: tamen placet inchoata obedientia propter Christum. Non dubium est, Ioseph solicitatum à domina ad libidinem, multas flamas errantes in pectore sensisse, verùm cum se reprimeret, & actiones carnis mortificaret Spiritu (vt Pauli utar verbis) mansit in gratia, ac retinuit Spiritum sanctum. Hoc exemplum insigne & illustre nobis quoque ad imitandum proponamus. Etsi manet in nobis concupiscentia, & corda multoties inflammantur prauis motibus: tamen si fide & inuocatione his cupiditatibus repugnamus, placemus Deo, & hæc qualiscunque diligentia recipitur propter pontificem Christum. Ita initiò in doctrina operum simul inculcetur doctrina fidei, vt meminerimus, opera placere propter Christum.

Tertiò, cum magna sit infirmitas humanae naturæ, & diabolus ei perpetuò insidetur, querunt anxiæ mentes, quomodo vincere Diaboli insidias, & nostræ naturæ fragilitatem possint. Videmus in historiis summos viros ferè omnes insignibus quibusdam proris

bris deformatos esse. Themistocles post victoriam adeò sibi indulxit, ut aliquando sedens in vehiculo à quatuor nudis mulieribus in forum veheretur. In Hercule, Alexandro & aliis multis, quām ardentes initio impetus ad virtutem fuerunt, & tamen hi summi viri in ocio labefactati, libidinibus se totos dediderunt! Quām feci lapsus sunt Samsonis, Davidis & aliorum, qui amplexi fuerunt Proprietarum doctrinam!

Hęc exempla cūm intuemur, & nostram ingentem imbecillitatem consideramus, quę assiduę circumfert multas prauas inclinations, solliciti quærimus, quę præsidia sint opponenda. Philosophi nihil opponunt, nisi diligentiam rationis & voluntatis humanę. Et si autem in regendis externis moribus aliquid loci est humanę voluntati & diligentizę: tamen humana diligentia sine auxilio Spiritus sancti non potest perseverare in cursu bonorum operum, nec adeò intenta est, vt omnies lapsus caueat. Ideò semper in doctrina operum admonendi sunt homines, vt petant auxilium, & fidem & inuocationem exercant. Ita vincent Diabolum, sicut ait Christus: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.

Quanta pericula sunt in administratione? In talibus magnis certaminibus experimur, nobis opus esse auxilio Spiritus sancti. Ideò iubet petere Christus hunc gubernatorem, cūm ait: Si homines possunt dare dona suis li-

beris, quantò magis Pater vester qui est in cœlis, dabit Spiritum sanctum petentibus? Hic Spiritus datur, ut regat corda nostra consilio, & exuscitet motus salutares, vincat diaboli insidias, & pro nobis interpellet gemitibus ineffabilibus, Rom.8.

Quartò fines castitatis consideremus, quorum primus est, ut retineamus gratiam: quia impossibile est, simul esse iustitiam fidei, & prohibitas libidines. Ideo scriptum est aliquoties: Fornicatores & adulteri regnum Dei non possidebunt. Item, Tollens ne membra Christi faciam membra meretricis. Hæc necessitas est magna, qua si qui non mouentur, nequam sunt pij.

Secundus finis est, ne exempla nostra ludent gloriam Dei. Hic finis etiam debet piis curæ esse, iuxta illud: Luceat lux vestra coram hominibus, ut glorificetur pater vester cœlestis. Et in 2 præcepto Deus minatur poenam, omnibus, qui suis exemplis inuitant alios ad peccandum, aut præbent occasionem, ut alii vituperent verbum Dei, aut leuius de doctrina aut Euangelio sentiant. Sic Dauid rapiens sancti viri coniugem, & maritum interficiens, præbuit occasionem blasphemis hostibus, ut aduersus Deum: Israël triumphantes dicerent conuicia in Deum, & hæc insultatio ingentem dolorem attulit cordibus piorum. Denique multi infirmi in populo Dei, cognito lapili Dauidis, leuius de doctrina, quam hic Propheta Dei tradiderat, senserunt. Hæc scandala

dala sunt horribilia peccata, & non satis intellecta: sed tamen populo declarari debebant, ut scirent homines, etiam propter hanc causam maiore cura cauendos esse lapsus, ne scandala nostra alii noceant.

Tertius finis est cultus. Quia enim sumus populus Dei, necesse est, nos Deo reddere aliquem cultum, & magna dignitas est bonorum operum, quod Deus approbat ea, & dicit esse sacrificia, si fiant opera in fide Christi, & propter gloriam Christi.

Quartus finis est exercitium fidei & inunctionis: quia sine exercitiis languescit & extinguitur fides. Et Deus ideo varias tentationes proposuit pii, ut in illis exercitiis inuocent & glorificant nomen eius, & crescat in nobis fides & spiritualis nouitas.

Quintus finis. Deterrent nos a libidinibus primum aeternae poenae: quia scriptura clare inquit: Fornicatores & adulteros iudicabit Deus. Item presentes poenae. Quia Deus saepe etiam presentibus poenis declarat iram suam, ut in diluvio Noe.

Econtrà casti impetrant a Deo incrementa donorum spiritualium, ut appareat in Ioseph. Et Corinth. 6 de castis dicitur: Nescitis quod corda vestra sint templum Spiritus sancti? Quare Spiritus sanctus cumulat sua dona in castis. Ornat Deus castitatem etiam premiis corporalibus, sicut Phineas, qui puniuit scortatores, donatus est successione sacerdotali. Item Iudith seruauit ciuitatem. Et cum con-

stet pœnis corporalibus puniri libidines, non dubium est econtra piorum castitatem sœpe etiam habere præmia corporalia.

Sextus finis est: In hac ipsa virtute, videlicet castitate, habenda est proximi ratio, ne vel alij exemplis nostris corruptantur, vel ne nostra facta noceant Reip. sicut libido paucorum in Gabaa punita est exitio ferè vniuersitatis Beniamini, Iudic. 19. Et huiusmodi exempla monent nostra benefacta & malefacta etiam ad alios pertinere.

Hactenus locos proposui, ex quibus argumenta duci possunt profutura in ~~negligentia~~ ad castitatem. Etsi autem extremas tantum lineas duxi, tamen non difficile est mediocriter eruditis, hos ipsos locos amplificare.

De secundo Loco.

In quinto libro Ethicorum eruditissime dicitur ab Aristotele: In rerum communicacione efficiendam esse æqualitatem Arithmeticam proportionem. Nam alioqui non potest perpetuo durare rerum communicatio, quia vbi rerum non seruatur æqualitas, ut in usuris & aliis expilationibus immodicis, una pars exhaeritur, & ad famem adigitur. Ideo & de hac æqualitate præcipit Deus, cum inquit: Non furtum facies. Et 1 Thess. 4. Nolite transgredi, nec plus auferre in negocio, id est, non recedite in contractibus à legitima æqualitate.

Primum

Primum igitur sciamus, non tantum propter nostram tranquillitatem seruandam esse æqualitatem, sed multò magis propter Deum. Ideò vult nos amare iustitiam, vt de sua iustitia nos admoneat: docet iustitiam æqualitatem esse, vt se quoque sciamus æqualem, non tyrannum, non acceptatorem personarum, quod cogitare magna profectò pietas & consolatio est: sicut docet Paulus: Idem Deus diues est in omnes, qui inuocant eum. Item Petrus: In veritate cognoui, quòd Deus non acceptet personam. Amemus ergo in contratribus hanc diuinam ordinationem, & sciamus in eis proposita esse exempla commonefacientia nos de Deo. Hæc semper cogitanda sunt, quoties de iustitia dicimus in contratribus.

Detertio Loco.

De rebus politicis sententias Pauli longè antefero Platonis & Aristotelis politicis, etsi hæc quoque sapienter scripta sunt. Quadam enim non vulgari prudentia monet gubernatorem de neruis boni status, & de fontibus maximarum mutationum.

Vñstatum est, peccare gubernatores ignavia. Cùm nunciatum Honorio esset, qui Rauennæ desidebat, Romam perditam, credidit ille de pugnaci Gallo, cui nomen erat Romæ, significatum esse, admiratúsque vehementer, tam subitò periisse eum, quo cum paulò ante festiuissimè luserat. Adeò socordis ingenij erat

Princeps, nec quicquam omnino paternæ
uitæque virtutis referens.

Sed multi sapientes & acres peccant πολυ-
δειγμοσύνη. Sæpe igitur monet, hunc mor-
bum cauendum esse. Et quia ex ambitione o-
ritur, eruditissimè opponit contrariam ambi-
tionem. Iubet nos hanc gloriam expetere, vi-
delicet, studium manendi intra septa & me-
tas nostri muneric, seu ut dicitur, ut suam quis-
que spartam ornet. Sed popularia ingenia
magis gloriosum esse ducunt πολυδειγμοσύνη,
passim se ingerentem, multos lacefentem.
tranquilla consilia conturbantem, denique
negocia vndeque attrahentem, ut Cæcias nu-
bes ad se attrahere dicitur.

Tales fuisse multos in historiis legimus, ut
Cleonem, quem dicebant alterum pedem in
castris, alterum in curia habere. Quām multi
nunc sunt, qui alterum pedem in curia, alte-
rum in ara collocant, hoc est, qui suis tantum
consiliis Respublicas regi, & prorsus ad sua iu-
dicia doctrinam in templis attemperari vo-
lunt? Sæpe hoc malum Ecclesiæ nocuit. Sed
omitto exempla. Nam lector non rudit vitæ
communis, si expendet Paulinas admonitio-
nes, videbit eum multa significare, quæ sapi-
enti & sagaci gubernatori sunt prouidenda.

*Finis Epistole, die 7 Martij, Anno à natali
Christi 1547.*

DOMI-

DOMINICA

O C V L I.

Epiſtola Ephes. 5.

Frātres: Sitis igitur imitatores Dei, tan-
quam filij dilecti, & ambuletis in dilecti-
one, quemadmodum & Christus dilexit nos,
& tradidit ſemetipſum pro nobis oblatio-
nem ac victimam Deo in odorem bona& fra-
grantia. Ceterū ſcortatio & omnis im-
mundicia, aut auaritia ne nominetur quidē
inter vos, ſicut decet ſanctos: aut obſcēnitas,
aut ſtultiloquium, aut urbanitas, quae non
conueniunt, ſed magis gratiarum actio.
Nam hoc ſcritis, quod omnis ſcortator, aut
immundus, aut auarus, qui eſt ſimulachro-
rum cultor, non habet hereditatem in regno
Christi & Dei. Ne quisquam vos decipiatur in
anibus sermonibus. Propter haec enim venire
ſolet ira Dei in filios inobedientes. Ne ſitis
igitur conſortes illorum. Eratis enim quon-
dam tenebræ, nunc autem lux in Domino,
ut filij lucis ambulate: nam fructus ſpiritus
ſitus eſt in omni bonitate & iuſtitia & veri-
tate.

L O C I D V O.

I. Concio generalis de omnibus bonis operibus.

II. Pre-

II. Preceptum peculiare de Temperantia.

De primo Loco.

 Ausa, propriè sic dicta, vitæ æternæ est misericordia propter Christum promissa, quam fide accipi necesse est. Quod autem necessaria sit inchoata obedientia post acceptam reconciliationem, præcipue docent hæc dicta. 1 Corinth. 13. Si omnem fidem habeam, dilectionem autem non habeam, nihil sum. 2 Corinth. 5. Superinduemur, si tamen non nudi reperiemur. Roman. 10. Corde creditur ad iustitiam, ore fit confessio ad salutem. Hebr. 12. Retinetе sanctificationem, sine qua nemo videt Deum. Ephes. 5. Ambulate accurate, non ut fatui, id est, laxantes frenum cupiditatibus, sed ut sapientes, id est, qui frenanterantes impetus.

Manet enim discrimin operum, sitque coniuncta fidei diligentia nostra, immo in tanta nostra imbecillitate, & in tantis insidiis Diaboli opus est magna vigilantia. Ideò insigni verbo hic vsus est, ἀκριβῶς, quod significat accuratam diligentiam animi intenti. Eodem pertinet verbum, δοκιμάζοτε. Probate, inquit, quid placet Domino, id est, conscientia eligat opera Deo placentia, hoc est, præcepta lege Dei, & viter Deo displicantia.

Hæc igitur & similes sententiae docent, nostram obedientiam, et si manca sit & inchoata, tamen

tamen necessariam esse. Neque enim sententia huius; Fide iustificamur, sine operibus legis, ea vis est, ut aliæ virtutes cum fide coniunctæ non sint, sed opinio meriti excluditur, & à contemplatione propriarum virium traducitur ad conspectum ynius Mediatoris.

De secundo Loco.

Causæ Temperantiaæ.

1. *Mandatum Dei.*
2. *Quia Temperantia est fida nutrix cùm aliarum virtutum, tūm præcipue invocationis.*
3. *Propter valetudinem, qua opus est in omnibus vita partibus.*
4. *Ebrietas, quæ est voluntaria insania, nos præcipitat in Tragicos casus, ut Cambysen.*
5. *Propter naturæ nostræ excellentiam & dignitatē, à qua aliena est fædissima consuetudo heluandi.*

Cùm in postrema senecta mundi omnes virtutes sint languidores, & nunc genus illud animæ, quod ὀπθεματικὸν Plato vocat, in hominibus præcipue dominetur. (Etenim natura hominum nec sapientiæ studet vt olim, nec acerrimos militiæ labores sustinet, quos Cyrus, Alexander, C. Cæsar, & alij viri heroici sustin-

sustinuerunt: sed velut eneruata, delicias & voluptates querit.) Diligenter illustrandæ sunt omnes causæ, quæ nos à turpissimis voluptatibus reuocat ad amorem castitatis & temperantiarum, seruantis mediocritatem in cibo & potu, & præcipue corpori salutaris est. Nam si sanguinem nos forte non mouent, vniuersæ tamen certè inter se connexæ atque coniunctæ mouere debent. Cùm autem de castitate, quæ vitalibidines à Deo prohibitas, & aliás sæpe & in superiori concione paulò accuratiùs dictum sit, nunc de altera virtute dicam, & quinque causas breuiter colligam, quæ si oculis cernerentur, mirabiles amores, ut ait Plato, excitarent Temperantiarum.

Primum igitur impellat nos ad moderationem cibi & potus mandatum Dei, qui vult genus humanum reuerenter vti illis donis, vita, corpore, cibo, potionē, & alii: quæ ad victū cultūmq; pertinent. Ideò Paulus ait, sanctificari cibum per orationē, quæ est inuocatio & gratiarum actio. Debemus enim petere à Deo, vt det cibos, & benedicat. Item, debemus gratias agere, hoc est, agnoscere, quod sint Dei dona, & vti illis ad gloriam Dei, & testari nostra obedientia & confessione, quod Deum autrem magni faciamus. Ita usus ciborum fit sanctus, hoc est, non solùm concessus, sed etiam bonum opus, & Deo placens.

Secundò intelligendum est, Temperantiam esse fidam nutricem cùm aliarum virtutum, tūm præcipue inuocationis. Ac Aristoteles

teles quidem studiosè inquirens, vnde verba
sunt ducta apud Græcos, σωφροσύνη dictam es-
se putat, quia seruet prudentiam, quam Græci
φρόνσιν dicunt, aliásque virtutes.

Nam vt omittam cæteras virtutes, iustiti-
am, castitatem & similes, quas constat ab e-
briis procul segregatas esse, quæ potest esse in
homine ebrio inuocatio, quæ meditatio ylli-
us seriæ rei?

Quanta autem miseria est, viuere homi-
nem sine Deo, non habere custodem aduer-
sus Diabolum, non iuuari à Filio Dei, manere
hostem Dei, & ab eo abiici? Præterea excellen-
tem virtutem, destitutam excubiis & custodia
filij Dei, plerunque diabolus de statu detur-
bat. Ideò vides in historiis summos viros ferè
omnes insignibus quibusdam probris defor-
matos esse. Nam sine filio Dei, (vt ipse inquit,
Sine me nihil potestis facere) etiam cœlestia
bona non sunt durabilia. Quare si existima-
mus agnitionem Dei & inuocationem virtu-
tem necessariam esse, hanc quoque, de qua
nunc differimus, temperantiam nobis aman-
dam & colendam putemus. Pertinet enim ad
illud genus causarum efficiétiū, quas Græci
εὐεργέτα, καὶ ἀλιτα τῶν ἐρευ dicunt.

Tertiò colamus hanc virtutem tuendæ va-
letudinis causa, qua in omnibus vitæ partibus
opus est. Constat enim, intemperantia accersi
morbos & exitium, sicut plerunque pœnæ in
cære grassantur, qua peccatur. Et vt in libro
sapientiæ dicitur: Per quæ quis peccat, pereā-
dem

dem punitur. Id ideo fit, ut sciamus nos à Deo
commonefieri de illis ipsis delictis, ut redea-
mus ad pœnitentiam. Cum Alexander nimi-
um vini hausisset, hausisset semel præbibens
duas choas, id est, quatuor nostrates mensu-
ras, in eo conuiuio pœnas temulentia dedit.
Mox enim inflammatus vino egrotare cœpit,
& post paucos dies extinctus est.

Hæc satis sit breuiter admonuisse de tertia
causa, quæ diligenter consideranda est, ut di-
scamus recte regere appetitiones, ut natura po-
stulat. Vult enim Deus, nos honorem habere
corpori, quod est domiciliū & organum Spir-
itus sancti. Læditur corpus nimis tenui aut
immundo victu, sed multò magis contume-
lia afficitur heluationibus. Quanta enim con-
tumelia est, sic oneratum esse cibo & potu, ut
imago Dei vertatur in imaginē belua? Quod
igitur Paulus de libidinosis inquit, ne corpus
suum perdant, id etiam de heluonibus verum
est. Vtrique in ea re corpus suum perdunt, id
est, sua corpora adfligunt & contumelia affi-
ciunt, videlicet ne sint organa Dei.

Quartò cogitemus, non corpora tantum
frági ac debilitari Antonianis heluationibus,
sed animis quoque densissimas tenebras, &
quasi noctem quandam offundi, quæ paritu-
rores, & magnam segetem malorum, quæ par-
tim ita fœda sunt, partim ita flagitiosa, ut di-
cta quoque videantur turpia. Verè enim &
durata, vitia vino concepta, etiam sine vino
valent.

valent. Et venustè inquit Galenus, crapulam dictam esse à vibrando & quatiendo capite, Nam fumi illi, qui magna frequentia & assiduitate in cerebrum exhalant, lœdunt & corruptunt actionem, cuius principatum in capite, sicut in arce, Plato posuit. Cæterùm fonte conturbato, quæ potest esse actio pura, tanquam riuiulus ex eodem manans?

Sed ne nimis subtiliter hanc sententiam explicemus, verum exemplis potius adhibitis illustremus. Traiecit Cambyses iratus simul atque ebrius Prexaspis familiaris sui filium sagitta, atque apero illius pectore, iussit inspici, an cor, quod petierat, transfixum esset: cui cum infixam sagittam renunciassent, tunc ad patrem qui a stabat, cōuersus: Ecquid, inquit, certam tibi habere manū videor? Ad quæ ille rōfestim, nullo perturbationis signo dato; ne Apollinem quidem potuisse certius figere, respondit. Quis non in hoc tam nefario & nunquam anteā comperto scelere, tragicum illud oportunè subiiciat:

*Quis Colchus hoc, quis sedis incerte Scythæ
Commisit? aut quæ Caspium tangens mare
Gens iuris expersa ausa, &c.*

In Alexandro quām ardentes initio impetus ad virtutem fuerunt? Sed hic tantus vir obmissa priore animi intentione, dedidit se obscenis voluptatibus, heluatus est, interfecit ebrius amicos, sciuīt in duces fideles & optimè meritos, Parmenionem & Clytum, pollutus est libidinibus. His flagitiis addidit manife-

itas contumelias aduersus Deum: credi voluit, se supra mortalium conditionem quidam diuini numinis habere: prodibat interdum cornutus ut Iuppiter Hammonius, interdum ut Diana: denique intolerabili petulantia ludebat. Secutæ igitur sunt tristissimæ poenæ, quas narrat Pausanias in Bœoticis de Cassandro, quæque alio loco à nobis expositæ sunt, in titulo de superbia.

Valde autem prodest, historiam Alexandri nosse, ut cogitatio huius exempli & iudicij diuini nos ad timorem Dei exuscitet.

Postremò si considerare volumus, quæ sit in natura hominis excellentia & dignitas, intelligemus, quām sit turpe diffluere luxuria, & delicatè & molliter viuere, quāmque honestum parcè, continenter, seuerè, sobriè vivere. Apperet enim, diuinitùs impressas esse imagines morum in brutis animatibus, vt exemplis illis admoniti homines, discant amare rectè facta, & odiisse vitia. Nam vt in Polypo tanta libido est, vt extinguitur in cubitu, ita noctua piscis tam vorax est, vt non defiat se onerare cibo, donec rumpatur. Hac imago tantam habet similitudinem cum Antonio, Alexandro, Demetrio, & nostris helionibus, vt necoum quo, vt dicitur, nec lacti magis simile esse possit. Cogita autem, quanta sit immanitas, quanta turpitud exire imaginem Dei, & proximè ad bestiarum naturam accedere. Hac igitur causa & reliquis,

quis, quas paulò ante exposui, omnes sanos
& moderatos moueri decet, vt colant sobrie-
tatem seu temperantiam, & avaritiam illam, quæ
comes est tumultuic, omnium acerrimè ma-
ximeque tanquam pestem naturæ humanae
execrentur.

Finis Epistola, die 14 Martij, anno 1547.

D O M I N I C A L A E T A R E.

Epistola Galat. 4.

Fratres : Scriptum est, quod Abra-
ham duos filios habebat, unum ex ancil-
la, & unum ex libera. Verum is qui ex an-
cilla natus est secundum carnem natus est:
qui vero ex libera per reprobationem, que
per allegoriam dicuntur. Nam haec sunt duo
testamenta, unum quidem à monte Sina, in
seruitutem generans, quæ est Agar. Nam A-
gar, Sina mons est in Arabia: confinis est au-
tem ei, quæ nunc vocatur Hierusalem, seruit
autem cum filiis suis. At qua sursum est Hie-
rusalem, libera est, quæ est mater omnium no-
strorum. Scriptum est enim: Latare sterilis que
non paris, erumpere & clama quæ non partu-
ris ; quoniam multi liberi deserta magis,

DOMINICA

quam eius quæ habet virum. Nos autem fratreſ, secundum Isaac promissionis filij ſumus: ſed quemadmodum tunc is, qui ſecundum carnem natus erat, perſequetur eum, qui natus erat ſecundum ſpiritum, ita & nunc. At quid dicit ſcriptura? Ejce ancillam & filium illius. Non enim haeres erit filius ancilla cum filio liberæ. Itaque fratreſ, non ſumue ancilla filij, ſed liberæ.

LOCI TRES.

- I. De discriminis noui & veteris Testamenti.
- II. Consolatio opponenda multis temptationibus, ex capite 54 Eſaiæ.
- III. De bello ἀνόνδῳ, quod interſe gerunt duo hominum cætus, vera Ecclesia amplectens Euangelium, & multitudine hypocitarum, quæ nihil nōrunt, niſi legis doctrinam.

De primo Loco.

Na est doctrina Ecclesiæ Dei, tradita inde vsque ab initio, & propagata certis testimoniis, & certa ſerie omnium temporum mandata literis per Prophetas & Apostolos, quæ certò docet de voluntate Dei, placatam eſſe iram Dei per vnicum Filium, quem misit in terram, propter hunc Pontificem exaudiri inuocantes, iuuari & donari inenarrabili laetitia in vita per-

ta perpetua. Hæc arcana sapientia longè posita extra conspectum humanæ rationis, discernenda est à Lege & Philosophia, ideoq; Apostoli suam doctrinam Euangeliū vocarunt, ut nominis nouitas de discrimine admoneat, quod priusquam enarro, vos adolescentes de duabus rebus, ut videntur, paruis, commonefaciam, videlicet de eloquentia Prophetarum & Apostolorum, & de allegoriis tractandis.

Mihi legenti hunc locum Pauli, & alia dicta in Prophetarum & Apostolorum scriptis, valde errare videntur quidam literati, qui omnem eloquentiæ laudem sacris monumentis detrahunt, & his falsis clamoribus multos à lectione horum librorum abducunt.

Si quis autem requirit integrum eloquentiæ descriptionem, is cogitet eloquentiam esse facultatem sapienter aliquid & iusto ordine explicandi, & id quod sentis politè eloquendi, ut delectatione quadam allicias lectorem vel auditorem. Præclarū est enim, quod de inventione Demosthenes inquit: ἀπόλετος λόγος, ἀπίστας γέγοντι μάταιοι τιχη κενὸν φαλαρητοῦ, id est, Omnis oratio, si desint res, stultum quiddam & inane videtur. Suanissimè etiam Xenophon dixit in Oeconomia, laudans dispositionem: ἀπόλετος εὐχενσος, ἀδεκαλὸν ἀνθρώποις, ὡς λάξις, id est, Ordine nihil est melius, nec pulchrius.

Cum igitur constet in scriptis Propheticis & Apostolicis contineri sententias de rebus multis & magnis, & quidem diuinis: Et cum appareat excellens & singulare consilium in

disponendo habuisse Prophetas & Apostolos,
fateamur constare illud etiam, præcipuas elo-
quentiæ virtutes in his scriptis inesse.

Qui autem requirunt ornamenta oratio-
nis, hos, si admoneant amicè, docebimus: si
calumniosè infectantur, repellere & confuta-
re possumus. Nulla enim vbertas & copia fi-
gurarum, deniq; nullus est in verbis aut poë-
tarum aut oratorum tantus ornatus, qui cum
libris Propheticis & Apostolicis, præcipue ve-
rò cum Psalmis aut descriptionibus Esaïa &
Pauli comparari possit.

Sed omitto exemplorum indicationem,
quæ cùm omnibus piis nota sint, mihi ad com-
memorandum non sunt necessaria.

Postremò & hoc decus eloquentiæ præci-
puum & necessarium in omnibus viris diuī-
nitùs excitatis agnoscamus, quod Græci di-
cunt, δύνασθε λέγειν κοινὰ κανόνες, η κανάν κοινός.
id est, posse noua & inaudita dicere tanta cum
perspicuitate & simplicitate, vt appareant
communia: & contrà, res notas & visitatas sem
per alia forma verborum ornare, vt videantur
nouæ. Hæc virtus in nostris doctoribus poti-
simùm lucet atque conspicitur.

Etenim dogmata arcana & admiranda,
quæ longè posita sunt supra Philosophiam &
captum humanæ rationis, non tam subtiliter,
quam dilucide explicat, & formam orationis
attempérant ad nostræ métis imbecillitatem,
quæ fulgorem maiestatis diuinæ sustinere in
hac vita nullo modo potest.

Econtrà

Econtrà vnam & eandem doctrinam de
Lege & Euangilio, quæ est propria horum scri-
ptorum sententia, tot & tam variis verborum
luminibus illustrant, ut noua subinde, & nun-
quam prius audita dicere videantur.

Discrimen Legis & Euangelij, alias s̄epe re-
petitum, hoc loco pingitur velut in tabella in
imagine coniugum Abrahæ.

Si qui autem desiderant compositionem in
periodis sacris, curiosius id faciunt, quam ne-
cessē est. Nam cōponere & struere verba sic, ut
numeros quosdam efficerent, pauci oratores
potuerunt. Isocrates primus intellectus, etiam
in soluta oratione, dum versum effugeret, mo-
dum tamen & numerum quendam oportere
feruari. Ante hunc enim, verborum quasi stru-
ctura, & quedam ad numerum conclusio nul-
la erat. Hanc etsi optimus dicendi magister
Cicero non solum consecutus est, sed eiusdem
etiam amplificator fuit: tamen pauci imitato-
res (qui omni cura & cogitatione in id incu-
buerunt, ut sententiæ plerunque numerosè
caderent) parem collationem & formam ef-
ficere potuerunt. Ac de prima quidem parte,
hoc est, de eloquentia scripturæ satis dictum
est: sequitur ut doceam, quæ sit ratio tractandi
allegorias.

Primum igitur reprehendenda est Orige-
nis & similium scriptorum audacia, qui om-
nes sententias scripturæ in allegorias trans-
formarunt. Nam hæc vitiosa consuetudo, &
hic ludus immoderatus allegoriarum adducit

conscientias in dubitationem de certitudine
doctrinæ, quam constat diuinitus traditam
esse Prophetis & Apostolis. Verè enim & gra-
uiter dixit Epiphanius in refutatione Enthu-
siastarum: πᾶν τὸ ἀμετέρον πάντα χειρωνῆσθαι: O-
mne immoderatum est insuaue, sicut cur-
sus immoderatus destruit naturam. Ut igi-
tur natura in omnibus motibus & actioni-
bus certam moderationem postulat: Ita nos
modum quendam adhibeamus in tractandis
allegoriis, easque docendi & illustrandi causa
interdum verecundè proponamus. Nam tem-
pestiuæ allegoriæ ab artificibus tractatæ atque
explicatæ plurimum momenti, cum ad do-
cendos auditores, tum ad delectandos asserre
solent.

Sequamur autem in iis tractandis regulam
aliâs sâpe repetitam: Si quis habet propheti-
am, id est, donum enarrandi conciones di-
uinas, is dirigat eam ad certam normam, vi-
delicet ad fidei ἀπαλογίαv. Ut enim in portu na-
uigare tristissimum est, & contrâ portu soluen-
tes sâpe naufragium faciunt: sicut Vergilius
inducit Aeneam ægerrimè ferentem amici
naufragium, his verbis:

Onimum pelago & cælo confise sereno,

Nudus in ignota Palinure iacebis arena:

Ita optimâ & simplicissimâ ratio interpre-
tandi scripta Prophetica & Apostolica, debet
continere enarrationem intra metas articu-
lorum fidei, nec extra hâs metas quâdam te-
meritate & stulta confidentialia longius euagâ-
ri

ti. Hæc enim leuitas, quæ ut Thucydides ait, contemptrix est rerum visitatarum, & serua absurdarum, multos perniciosos errores omnibus æstatibus peperit. Quapropter maneamus intra metas, quas Deus ipse bonis interpretibus circumdedit, & scripturæ enarrationem, addo & allegoriarum eruditam tractationem ad utiles eosque præcipuos doctrinæ Christianæ articulos accommodemus, & hac quidem in parte, ut in cæteris omnibus, Pauli exemplum imitemur, qui allegorias proponit, non de ceremoniis aut similibus nugis, sed eas tranfert ad ornandos & illustrandos præcipuos doctrinæ articulos, quales sunt hi loci, de Lege, de discrimine Legis & Euan gelij, de beneficijs Christi, de noua obediëtia. Sed omessa longiore enumeratione, de hoc capite quarto ad Galatas breviter dicam.

Comparat Paulus duo testamēta cum duabus coniugibus Abrahæ, quarū una fuit liberta, altera seruili conditione. Sicut igitur Agar concubina non venit in societatem bonorum Abrahæ, sed vñā cum filio domo expulsa est. Nam serui non manent in domo herili perpetuò, sed statuto quodā tempore eiiciuntur, non accepta hæreditate, quæ filiorum propria est. Sic lex vniuersa, hoc est, disciplina & ceremoniæ sine Spiritu sancto, & sine agnitione Mediatoris, non possunt genus humānum oppressum tristissima seruitute peccati & mortis vindicare in veterem libertatem & dignitatem. Ita enim Christus inquit Iohan. 8.

Qui facit peccatum, seruus est peccati. Quòd si Filius Dei vos liberauerit, verè liberi estis. Ideò lex verè appellatur Testamentum ad seruitutem generans, id est, non liberans homines à tristissimis malis, quibus onerati sunt, à peccato & morte. Imò vt vinum auget calorem in febricitante, nam similia crescunt accessione similium qualitatum: ita tantum abest, vt lex hæc ingentia mala tollat, vt augeat etiam, magisque exasperet iram.

Ac sine lege quidem ignota omnibus hæc seruitus esse solet. Posteaquam verò aperta & patefacta est legis horrenda accusatio, quæ ipsa specie nos terret, & mirabiles terrores excitat conscientiæ, tūm demùm agnoscimus, nos esse seruos peccati. Non intelligitur autem hæc doctrina ab Epicuris aut hypocritis, qui partim securè derident iudicium Dei, partim fascinati sunt aliis opinionibus de disciplina ac ceremoniis, quas iudicant esse iustitiam legis satisfacentem: denique ignota est ardentibus ambitione, & omnibus qui sunt ebrij voluptatibus. Sed à sola Ecclesia percipitur & cognoscitur in vera pœnitentia, in iuocatione & alijs exercitiis spiritualibus.

Hanc sententiam ignotam humanis iudiciis luculentissimè expressit Paulus cap 7 ad Roman. cùm ait: Ego aliquando sine lege vivebam. Posteaquam verò venit lex, monstrans iudicium Dei irascentis hominum peccatis, ibi peccatum quasi à mortuis excitatum est, & mihi dolores attulit lögè maiores, quām qui

qui hominum aut angelorum eloquentia describi possint.

Deinde ut Sara iuxta promissionem genuit Isaac, non seruum, sed filium & heredem domus paternæ, & omnium facultatum, quæ in ea fuerunt: ita Ecclesia nascitur non quidem ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed Deo regenerante corda per Euangelium & Spiritum sanctum, sicut Ioh. 1 & 3 dicitur: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei. Item: Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.

Porrò ut filius à patre accipit iustam & legitimam hereditatem: sic Ecclesia erit socia & heres illius æternæ beatitudinis, in qua fruetur dulcissima consuetudine Dei, atque eiusdem sapientia, iustitia, & vita perpetua. Hæc summa est allegoriæ à Paulo propositæ, quæ quām pulchrè pingat discrimen Legis & Euangeli: Item, veteris & noui Testamenti, nemini obscurum esse potest, præsertim consideranti historias in Genesi traditas, quæ omnibus piis notæ esse debent.

De secundo Loco.

Etsi caput 54. Esaiæ à me quidem non potest explicari pro dignitate: tamen attingere volui, ut adolescentes eam concionem considerent, & statuant, occurrere Prophetam præci-

præcipuis animorum nostrorū curis & solitudinibus, & opponere cōsolationes maximē congruentes. Impossibile est, non obstupescere rationem humanam, si conferat Ecclesiam ad imperia mundi, aut reliquos hominum cœtus, velut ad Turcicam multitudinem, florētē opibus, potentia, & magnitudine succēsum. Cūm enim infinita sit multitudo hominum aduersantium veræ doctrinæ Evangelij, & in mundo teneant imperia impij: è contrā exigua sit Ecclesia, & spreta atque abiecta in mundo, qualis pingitur in imagine crucis, quæ Græcis est hypolais, quæ nomen habet, quod humi ad saxa nidificet. Hac specie multi offensi à Deo deficiunt, & à vera Ecclesia aberrant, ac difficile est eluctari ex hac tentatione.

Sed opponi ei oportet cōmonēfactionem seu consolationē ab Eſaia traditam: Lætare se rilis, quæ non paris, &c: quæ confirmat Ecclesiam, ut statuat, se salutariter laboraturam esse, & tandem percepturam esse vberem fructum laboris, id est, conseruationem doctrinæ & auditorum, qui inenarrabili læticia in vita perpetua donabuntur.

Etsi enim magis conspiciuntur acerrimilabores militiæ, quos sustinuerunt Cyrus, Alexander, Scipio, C. Cæsar, Augustus & similes, qui politias aut constituerunt, aut collapsas iterum erexerunt tamē Ecclesia res longè maiores & salutares hominum generi efficit atq; assequitur. Nam exiguo tempore prosunt labores

bores Augusti & Scipionis, cùm politiæ tan-
tum ad tempus manserint, sed æterni fructus
sunt docentium, qui colligunt Deo Ecclesi-
am, & ornantur ipsi æternis præmiis. Nemo
Romæ in senatu existimabat diu mansuram
esse hanc doctrinam, quam Paulus circumfe-
rebat, sed manent Paulus ipse, discipuli, & do-
ctrina ad omnem æternitatem. Hac igitur
dulcissima consolatione nos quoque suspen-
temus. Non videtur mansurus esse hic status
Ecclesiarum & scholarum, qui Dei beneficio
iam constitutus est, luce Euangeli⁹ reddita,
sed mansurus est tamen, etiamsi mundus &
Diaboli aduersantur, sicut alibi Christus in-
quit: Portæ inferorum non præualebant ad-
uersus Ecclesiam.

Deinde, cùm agnoscat Ecclesia, se subie-
ctam esse isti ingenti moli ærumnarum pro-
pter peccatum, angitur sæpenumerò de vo-
luntate Dei, vtrum ab ipso inter tot horrenda
signa iræ Dei, & inter pœnas quotidianas ame-
tur & diligatur, an cōtrà ab eodem deserta &
abiecta sit. Hoc certamen multò difficultius est
superiore. Sed huic tristissimæ cogitationi de
abiectione, opponenda est vox Elaiæ de misé-
ricordia, neq; incerta, vt est hominum bene-
volentia, sed fixa & stabilis, quæ nunquam ab
Ecclesia abaliēatur. His enim verbis Deus ipse
Ecclesiam consolatur: Exiguo momento di-
spersite, sed immensa misericordia te rursus
congregabo, perinde vt *yaváyia*, hoc est, tabu-
la fractæ nauis in portu colligi solent. Item,

Paru⁹

Paruo tempore, cùm irasperer, abscondi faciem meam, verùm æterna misericordia velut osculans strauissimè complectar. Hæc dicit Redemptor tuus Dominus.

Sicut arcus cœlestis signum est, quod mihi in memoriam reuocat fœdus cum Noah factum, in quo constantissimè asseueraui, me nullo ynquam tempore deinceps terram oppressurum esse aquis diluuij, & hoc fœdus probè fixum & stabilitum est: ita nunc trado tibi promissionem, iureiurando confirmatam, de liberatione pœnarum. Montes enim commo uebuntur, & colles contremiscent, misericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non mouebitur, dicit Miserator tuus Dominus. Neque enim aliis verbis magnitudo misericordiæ diuinæ magis propriè describi potest, quæ sunt in ipsis Prophétis.

Tertiò cùm multos frangat & debilitet hostium Ecclesiæ potentia, affirmat Propheta, inanes & irritos fore tumultus impiorum, qui Ecclesiam delere ex hominum memoria conantur. Omne vas seu instrumentum in perniciem Ecclesiæ paratum, nihil efficiet atque assequetur, & omnem linguam, quæ odiosè tibi repugnat, iudicio tuo condemnabis. Hæc consolatio illustrior erit repetenti historiam Ecclesiæ, inde usque ab initio mirabiliter seruatæ ac defensæ.

Cùm in Ægypto edictum à rege proposum esset, ut recens editi fœtus necarentur, & Ægyptij

Egyptij tentarent omnes vias delendi & pre-
mendi populi Israël annis totis 80:tamen De-
us eam gentem mirabiliter seruauit & auxit,
& defendit postea in deserto, item in exilio
Babylonico. Denique tota historia Eccle-
siæ inde vsque ab initio mundi continet hu-
ius generis exempla plurima, quæ ostendunt,
Ecclesiam assidue versari in periculis, quæ hu-
manis consiliis discuti non possunt, & tamen
seruari eam testatur & regi diuinitùs.

Cum igitur omnibus terroribus opponat
consolationes dulcissimas & suauissimas, sæpe
eas consideremus, vt nos in his assiduis pericu-
lis, quæ coniuncta sunt cum Euangelij profes-
sione, confirmet, & earum cogitatione fidem
& fiduciam Christi in nobis excitemus.

Detertio Loco.

Semper in mundo, post editam promissio-
nem de semine, duo cœtus hominum fue-
runt: vñus veræ Ecclesiæ, quæ amplectitur &
profitetur doctrinam Euangelij à Deo tradi-
tam, & natuam eius sententiam in inuocati-
one & aliis exercitiis pietatis retinet. Alter
cœtus, qui veram Ecclesiam & numero & au-
toritate politica vincit, est hypocritarum, & e-
orum, qui sibi titulos Ecclesiæ falsò arrogant,
propter carnales quasdam prærogatiuas, quas
vno versiculo complectitur Iohannes.

Non ex sanguinibus, id est, Ecclesia nō ge-
neratur propagatiōe carnali, sicut Iudæi glori-
antur

antur, se populum Dei esse, ob hanc potissimum causam, quod sint posteri Abrahæ. Neque ex voluntate carnis, id est, per successiōnem aut electionem humanam, quam nunc arrogantissimè prædicat collegia Episcoporū & Cardinalium. Deinde non sit Ecclesia voluntate carnis, id est, per imitationem patrum, sicut multi superstitionē imitantes quasdam ceremonias patrum, se illorum similes esse arbitrantur.

Hic cœtus hypocitarum acerrimè odit ac detestatur Ecclesiam, velut pestem humani generis. Cùm enim Ecclesia reprehendat errores & idola mundi, & monstrat veram Religionem, hoc est, pietatem & cultum Dei, ægerimè ferunt hypocritæ hanc censuram, qui nolunt sibi detrahi opinionem sapientiæ, iustitiae, & aliarum virtutum: ideo Ecclesiam atrocissimè accusant & execrantur tanquam hostem Dei, & ei crimina omniū maximè detestanda obiiciunt, motæ seditionis & hæreseos, & vocant eam cùm schismaticam, tūm hæreticam. Neque verò id faciunt solum, sed insuper addunt Neronianam fænitiam, & homines propter piam confessionem atrocissimis supplciis afficiunt.

Hoc atrocissimum & immortale odium, quo Diaboli & hypocritæ persecuntur Ecclesiam, eamque funditus tollere atque delere conatur, multis descriptionibus significatum est, ut Gen. 3. Deus ipse tanquam facialis aut præco indicit bellum ~~απορροει~~ inter Ecclesiam & Dia-

& Diabolum, cùm ait: Semen mulieris contenteret caput serpentis, & serpens mordebit calcaneum eius. Hoc præconium in Paradyso voce Dei innumerabilibus tum veteribus, tum recentibus exemplis comprobatum est. Et Paulus insignibus verbis describit huius odij acerbitatem. Ait enim, Apostolos videri hominibus καθάρια καὶ οὐκ ἡματα, id est, piacula seu hostias, quas necesse sit, è medio tolli ad placandam iram Dei. Et Christus inquit: Veniet tempus, quando imperfectores Apostolorum, & aliorum recte docentium existimabunt, se λατρεῖαν præstare Deo, hoc est, cultum excellentem & singularēm, quo Deus suauissime recreetur & afficiatur.

Si quis autem requirit, quæ causa sit huius immanis & acerbissimi odij in hypocritis adversus Ecclesiam, nihil est quod expedire tam facile possimus. Etsi enim multæ sunt causæ, quæ hypocritas impellunt, ut omnem regni sui conatum in nostram pernitiem parent atque meditentur: tamen ex hoc fonte potissimum oritur dissidium inter Ecclesiam & hypocritas, quod de Deo, & de vera invocatione alias opiniones in animis hypocritæ circumferunt, & has reprehendi nolunt: aliam verò doctrinam de his maximis rebus Ecclesia amplectitur & profitetur.

Est enim verissima apud Ciceronem amicitia descriptio, cùm inquit: Amicitiam esse omnium rerum diuinarum humanarumque summā confessionem. Cùm enim de religio-

nementes hominum variis & diuersis opinioneibus imbuta sint, fieri non potest, vt voluntatum consensio atque concordia decateris rebus inter homines retineatur. Tradunt enim Physici, affectus esse motus in voluntate aut corde, qui sequuntur cogitationem, quæ cum fallitur, affectus quoque eam comitantes labi, errare, ac decipi necesse est.

Ideo Christus ante extremum agonem nō frustra à Deo precatur doctrinæ concordiam & summā consensionem: Oro, inquit, Pater, ut in nobis vnum sint, hoc est, eandem, non diuersas sententias amplectantur de vera agnitione & vero cultu Dei. Ut enim gubernator in specula sedens prospicit futuras tempestates: Ita Christus secum tacitus repetens, quantis iam inde usque ab initio motibus Ecclesia quassata sit propter doctrinæ corruptelas ac pericula, quæ impendebant, posteritati prospiciens, cōtendit toto pectore, ac vota ardentissima fecit, ut pater æternus ὁ μόνος των Ecclesiæ conseruet. Hæc de tertio loco, qui latissimè patet, breuiter dicta sint.

*Finis Epistole, die 21 Martij, anno Domini
1547, in urbe Parthenope.*

D O M I N I C A

I V D I C A.

Epiſtola Hebr. 9.

Christus accedens Pontifex futurorum bonorum, per manus ac perfectius taber-

nacu-

naculum, non manu factum, hoc est, non huius structure, neque per sanguinem hircorum ac vitulorum, sed per proprium sanguinem ingressus est semel in sancta, aeternare demtione reperta. Nam si sanguis taurorum & hircorum & cinis iuuencie, aspergens inquinos, sanctificat ad carnis purificacionem, quanto magis sanguis Christi, qui per spiritum aeternum seipsum obtulit immaculatum Deo, purgauit conscientiam vestram a mortuis operibus, ad seruendum Deo viventis. Et ob id noui Testameti conciliator est, ut morte intercedente, ad redemtionem, eorum praeuaricationum, quae fuerant sub priori testamento, iij qui vocati sunt, promissione accipient aeternam hereditatis.

VNUS est praecipuus Locus Epistolæ ad Hebræos, videlicet, doctrina de sacerdotio Christi, de quo scriptum est: Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchizedech. Christus enim verè est sumus sacerdos, cui hæc definitio conuenit: Sacerdos est persona, quæ promissionem diuinam habet, ut certò statuere possit se exaudiri, vocata mandato diuino, ut doceat Euangeliū, & oret ac sacrificet pro aliis.

Hæc propriissimè lac primùm cōpetunt Filio Dei, quia promissionem habet, qua certò scit se exaudiri, iuxta illud: Hic est Filius meus dia-

lectus, quo delector. Et 1 Timoth. 2. Vnus
Mediator Dei & hominum, homo Christus
Iesus. Et hic Filius protulit arcanum decre-
tum de reconciliatione, ex sinu æterni Patris,
vt Iohann. 1 dicitur: Vnigenitus Filius qui est
in sinu Patris, ipse enarravit. Et Iohan. 17: Non
pro eis tantum oro, sed pro omnibus, qui cre-
dunt per verbum eorum in me. Et Esai. 53 scri-
ptum est: Ipse peccata multorum tulit, & pro
transgressoribus rogauit. Postremò & sacri-
ficium pro nobis obtulit, & quidem id sacrifici-
cium nobis applicauit, sicut expressè inquit
Iohan. 17. Pro eis ego sacrifico me, vt ipsi sint
sanctificati in veritate. Et Matth. 20. Filius
Dei venit dare animam suam ἀύτεον pro mul-
tis.

Hæc autē applicatio fide apprehendēda est,
vt Act. 10 dicitur: Huic omnes Prophetæ testi-
monium perhibent, remissionem peccato-
rum accipere per nomen eius omnes, qui cre-
dunt in eum. Hoc dictum postulat, vt fide ac-
cipiant beneficium Christi, id est, statuamus
verè nobis donari remissionem peccatorum
propter huius Mediatoris sacrificium & inter-
cessionem.

Multi autem à nobis quærere solent, non a-
liqua curiositate, sed vera pietate adducti, quæ
causa Christum impulerit, vt pœnas, mor-
tem, ac supplicia perferret? Nobis in Ecclesia
non difficilis, neque obscura responsio est.

Narrant Regem Hispanicū Alphonsum, v-
sitato more Principum, suo quodam symbolo
dele-

delectatum esse. Passim enim pinxit Pellicanum fodientem rostro pectus, & eliciente sanguine ad pullos pascendos. Huic picturę additum Epigramma: Pro lege & pro grege; significans Principem omnia pericula adire debere, & religionis ornandæ causa, & pro populi defensione. Huius honestissimi versiculi exemplum maximè in Christo conspectum est.

Cùm enim nollet Deus totum genus humanum perire, & tamen iustitia Dei compensationem & pœnam pro peccatis postularet: Filius factus est deprecator, & pœnam ac horrendam iram Dei in se deiuauit, vt nobis Pater placaretur.

Fuit igitur causa impulsua passionis Christi lex, quæ est æterna & immota regula iustitiae in mente diuina, obligans omnes creaturas rationales vel ad obedientiam, vel ad pœnam. Cùm autem nulla creatura magnitudinem iræ Dei & horribilium pœnarum perferte ac sustinere posset, arcano consilio æterni Patris, Filii & Spiritus sancti decretum est, vt hic Filius pro nobis victima fieret, vt iusta ira Dei placata, genus humanum rursum in gratiam reciperetur.

Finalis causa passionis fuit, vt magna parti generis humani iustitia & gloria æterna rediceretur, & Deus haberet æternam Ecclesiam, à qua agnosceretur & celebraretur, vt Psalmus 22 dicit: Apud te laus mea. In Ecclesia magna confitebor tibi, vota mea reddam in conspe-

& utimentium eum. Hæ causæ semper cogitentur, quoties de passione & sacrificio Filij Dei differitur.

*Finis Epistole, die 2 Aprilis, anno Christi
1547.*

DOMINICA PALMARVM.

Epiſtola Philip. 2.

IS affectus sit in vobis, qui fuit & in Christo Iesu: qui cùm esset in forma Dei, non rapanam arbitratus est, ut esset æqualis Deo, sed semetipsum inaniuit, forma serui sumta, in similitudine hominum constitutus, & figura repertus ut homo, humiliauit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Quapropter & Deus illum in summam extulit sublimitatem, ac donauit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genus reflectat, cœlestium & terrestrium & inferorum, omnisque in qua confiteatur, quod Dominus fit Iesus Christus ad gloriam Dei Patris.



CONCIO παραγεντικù est, in qua Paulus piis omnibus hortator est, ut Christi humilitatem sibi ad imitandum proponant. Etsi enim multa

multa sunt argumenta, quæ nos mouere debent, ut hanc virtutem, quæ vocatur humilitas, amemus & colamus: tamen longè omnibus præstat, Christi liberatoris nostri exemplum, quod hic aperte & luculentè à Paulo expositum est. Sed quoniam in Græca lectione aliquæ particulæ occurrunt, quarum ignorantia errores & quasi noctem quandam imperitis offundit, antequā de re dicere instituo, de versione pauca dicam, nō quòd mihi potior sit hoc quidem tempore refutatio ineruditorum interpretum, sed ut nativa vocum significacione monstrata, Paulinæ concioni aliquid lucis addatur.

οὐχ ἀρταγμον ἡγήσατο τὸ θεῖον ίσα θεῷ, id est,
non rapuit æqualitatem Dei. Sæpè enim in
Græca lingua duæ voces ita iunguntur, ut al-
tera tantum reddenda sit atque exprimenda.
Sic Ptolomæus lib. 1 de iudiciis Astrologicis
has formæ verborum libenter usurpat: *ποιη-*
δει μετάβασιν, ποιεῖδει εύστιν, pro transire & ap-
parere. Thucyd. lib. 8. τρομβίλιδης λάμπακον ἀ-
τέχισον οὔσαν ἐλῶν, καὶ σκέυη μὲν οὐ ἀνθράκωδα ἀρτα-
γμον ποιησάμενος. id est, Strombilides occupa-
to Lamplaco, quod non erat munitum, rapuit
vasa & mancipia. Hanc Græcæ linguæ con-
suetudinem Paulus imitatus est, ac dixit, οὐκ-
ποιεῖδει ἀρταγμον. pro rapere.

Deinde oratio infinitiuæ, *τὸ θεῖον ίσα θεῷ,*
conuersti debet in nomen, ut sæpè fit apud Græ-
cos, præsertim quando articulus neutri gene-
ris præponitur. Est igitur simplicissima & pla-

missima versio huius loci: Non rapuit æqualitatem id est, non exeruit suas vires, non usus est sua potentia contra vocationem, sed λέγεται in Christo requieuit, ut natura humana crucifigi & mori posset.

ἡ χήματι ἐνεργεῖς ὡς ἀνθρώποι, id est, affectu inuentus est ut homo. Etsi enim χῆμα propriè significat gestum: tamen eadē vox idem alibi præ se fert, quod affectus, qui reuera quasi gestus quidam cordis est. In hac ipsa significatiōne legitur apud Paulum 1 Corinθ. 7: παράγεται τὸ χῆμα κόσμος τέττα, id est, affectus huius mundi transit. Taxat enim πλεονεχήματα & multiplices corruptelas, quæ in contractibus à Deo ordinatis hominum malitia misceri solent. Hos affectus ait interituros esse.

Quis autem potest magnitudinem huius dicti enarrare, quod subiicit se Filius Dei tanquam reum tantarum turpitudinum, quibus se turpissimi idolorum cultores, parricidæ, & alij flagitiosi homines polluerunt. Iacuit enim Christus coram æterno Patre prostratus, iam sustinens, quasi ipse se meis, tuis, & omnium hominum peccatis contaminasset. Hæc non est Rhetorica & inanis amplificatio, sed verè fuit talis dolor Christi deriuantis in se iam Dei, ac si ipse admisisset nostra delicta.

Hanc humilitatem, cum Filius Dei præstiterit, cum nostra probra, & nostram deformitatem in se deriuārit, pudeat nos nostræ superbiz, arrogantiæ, & vanitatis, quod nolumus exiguum iacturam nostræ opinionis pati, sed efferimus

efferimus nos, quasi vertice coelum tangentes,
& blandimur ipsi nobis, quasi antecellamus
omnibus sapientia.

Vt igitur Rex Assyrius, teste Herodoto,
hunc versiculum insculpi iussit statuæ, quæ i-
psi post mortem erecta est: *εἰς ἡμὲς ὁρέων ἐνστηθεὶς*
ιππον, id est, meo exemplo commonefactus di-
isce iustitiam: Ita Christus verè & sine simula-
tione de se prædicat: Discite à me, quia mitis
sum, & humilis corde, &c.

Finis Epistolarum ab Aduentu vsque ad Pa-
scha, in yrbe Parthenope, 1547.

IN FESTO PA- SCHATIS.

Epistola i Corinth. 5.

Fratres: Expurgate itaque vetus fermentum, ut sit noua conspersio, sicut estis in fermentati. Nam & Pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus. Itaque festum celebremus non in fermento veteri, nec in fermento malitia & versutie, sed in azymis, sinceritatis & veritatis.

LOCI PRAECIPVI TRES.

De peccato originis reprimendo atque extin-
guendo.

- II. *De typō Paschatis.*
III. *De noua obedientia.*

De primo Loco.

Tisi Paulus in hoc capite differit de Iurisdictione, qua contumaces & polluti manifestis sceleribus ex Ecclesia ciiciendi sunt: tamen nos in hac enarratione regulam Ciceronis sequimur, qui in libris de oratore sic inquit: Ornamentissimæ sunt orationes ex, quæ latissimè vagantur, & à priuata & singulari controversia ad vniuersi generis vim explicandam conferunt & conuertunt, vt iij, qui audiunt, natura & genere & vniuersare cognita, de singulis rebus statuere possint. Hanc ad consuetudinem exercitationis vos adolescentes est hor tatus Antonius, atque in minutis angustisque concertationibus ad omnem vitam varietatemq; differendi traducendos putauit. Quare de fermento in genere dicemus, & hanc concionem transferemus ad malum originis reprimendum atque extirpandum.

Et primū obseruetur græca vox ζυμη, quæ dicitur, ἀπὸ τῆς ζῆν, id est, à feroendo. Ea enim vis est atque natura fermenti, vt partes massæ frumentariæ non cupulet solūm, sed etiā inflet atq; excitet, nec vñquam cōquiescerete sinat, sed instar vēti eas agitet. Hæc imago venustissimè pingit naturā peccati originalis. Etsi enim hæc infirma natura hominum vtcunque regit actiones ad vitam ciuilem pertinentes, & mem.

membra in officio continet: tamen ut Vergilius de Ænea inquit: Spem vultu simulat, premit alto corde dolorem: Ita nos quoque disciplinam præstantes assiduè circumferimus naturæ prauitatem & malitiam. Nam mentes de Deo prauè sentiunt. Alij enim iudicant nihil omnino esse Deum, & hoc esse nomen solum inane, totamque de diis immortalibus opinionem fictam esse ab hominibus sapientibus, Reip. causa, ut quos ratio non posset, eos ad officium religio duceret.

Alij eti conuincuntur legibus motuum coelestium & aliis testimoniiis, ut hunc mundum ab æterna mente opifice conditum esse fateri cogantur: Tamen illi ipsi, cum rerum humanarum confusiones intuentur, tum negligi se ac deseriri in magnis ærumnis vident, experiuntur assensionem illam omnem elabi, & quasi lumen quoddam densissima caligine inuolutum tandem penitus extingui.

Sunt autem alijs, & hi quidem magni atque nobiles, qui eti mentem à vulgi opinibus abducunt, nec statuis diuinitatem tribuunt, sed sapientissima ratione Deum querunt, ac definiunt esse mentem æternam, causam boni in natura: tamen à Deo aberrant. Quid ita? inquiet aliquis. Quam requiris descriptionem magis propriam? Assentior de natura Dei eruditè cogitatam esse hanc Platonis definitionem, sed de essentia distincta tribus personis, & de voluntate Dei & dubitat Plato ipse, & relinquit in dubitatione alios χειμαζωμένους

μένεις ἐν λόγῳ, vt ipsius verbo utar. Nec Plato, nec Mahometes nouit, an recipiat ac exaudiatur Deus indignos, & cur recipiat. Constatigitur, mentem non illustratam Spiritu sancto impediti multis tetricis erroribus ac dubitationibus, quò minus Deum ita, vt i deberet, agnoscat.

Veniamus nunc ad hominum voluntates, quæ excusso rectore Deo ludunt securè, & frenos cæcis ac temerariis cupiditatibus laxant, fremunt aduersus Deum in calamitatibus, denique circumferunt contemptum iudicij diuini, amorem sui, ambitionem, studium premendi imbecilliores, fiduciam suæ potentiaz, odium veræ doctrinæ, & alios vitiosos & furentes motus. Hæc mala sæpe describuntur non solùm à Prophetis & Apostolis, sed etiam à sapientibus Ethnicis, vt Esa. 59 de impiis dicitur: Viam pacis non nouerunt, non est timor Dei ante oculos eorum. Et Cyclops, qui inquit: Non vlla expauesco numina cœlita, sed victimas vni deorum maximo ventri offero, deos ignoro cæteros.

Sed tanta est huius mali magnitudo, vt eman nulla vox angelorum & hominum satis describere possit. Accedo igitur ad cordis multiplicem ἀταξίαν, quam ne ipsam quidem inumbrare suis verbis, ne dum figurare queam, aut explicare oratione. Quod enim fretum tot motus, tantas, tam varias habet agitations fluctuum, quantas perturbationes & x-

stus

stus inordinatos habet cordis, humani fermentatio? Etsi enim affectus per se & suo genere res bonæ sunt: tamen hæc ingens confusio & perturbatio motuum cordis nō à Deo, sed aliunde orta & profecta est, videlicet à peccato, quod simul atque in lucem editi atque suscepisti sumus, cōtinuò nobiscum velut signa reatus circumferimus.

Nam motus cordis sine vlla exceptione regi debebant luce diuina, quæ monstrat, quo ordine res expetendæ sint. Vult Deus amari sibolem, sed ita, vt cultus primæ tabulæ huic amori anteferatur, sicut præcipit Christus: Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus. Vult Deus, lætari nos præsentia atque vsu rerum corporalium, quas concessu & beneficio ipsius possidemus, sed ea lege atque conditione, vt lætitia nostra primùm in ipso tanquam in autore & fonte bonitatis acquiescat. Sed hic ordo nunc aut omnino, aut magna ex parte inuersus atque conturbatus est. Corda magis lætatur possessione opum & voluptatum, quam Dei fauore & beneuolentia. Ardentius diligitur coniunx quam Deus, sicut adolescens ille apud Plautum ait: Malo me ista mulier amet, quam Dij.

Nullum præterea tristius monstrum, nec sauior vlla pestis Stygiis sese extulit vndis, quam immanis vindictæ cupiditas, quæ sapè impellit homines, vt discordias excitent pernicioſas sibi & aliis. Ut Coriolanus irritatus iniusta condemnatione bellum patriæ intulit.

lit. Nam difficile est irato & ardenti cupiditate vindictæ, cohære se, quò minus extra metas erumpat, vt verissimè dixit Pindarus: Ira etiam sapientes turbat, vt peccent. Et iuuensis Satyra 13. At vindicta bonum vita iucundius ipsa.

Hæc exempla satis declarat, qualis & quanta sit *愤怒* motuum cordis humani. Sic cor libidinibus inflatum omnia rabide appetit cum inexplebili cupiditate, quoque affluentius voluptates vnde haurit, eò gravius ardentiisque sitit.

Spero ex his quæ dixi, non esse obscurum, quid Paulus vocet *vetus fermentum*, videlicet massam peccati, quam à parentibus primis tanquam iustum & legitimam hæreditatem accepimus: & hæc quidem massa nunquam ocio languet, sed assidue gignit venenatas dubitationes de Deo, de prouidentia, de vera doctrina, quæ voluntatem Dei nobis patefacit, denique ciet innumerabiles procellas in voluntate & corde, vt verbi causa, securitatem prophanam, dissidentiam, impatientiam &c.

Hanc tantam malorum segetem Paulus *vna* appellatione fermeti complexus est, cùmque iubet expurgari eam atque exterminari, idem omnino præcipit, quod alibi dicit: Si actiones carnis, id est reliquias veteris fermenti, harentes in hac natura hominum vniuersa, & singulis eius partibus, mortificabitis spiritu, id est, veris, non simulatis motibus Spiritus sancti, cuiusmodi sunt, vera pœnitentia,

tentia, fides, inuocatio, tolerantia in afflictionibus, viuetis, hoc est, retinebitis benevolentiam Dei, & possessionem permanentium bonorum, Spiritum sanctum, & vitam æternam.

Subiicit autem aliquis: Nihil opus est tali purgatione, cum Paulus disertè affirmet, nos esse ἄζυμα. Est enim nota omnibus sententia Hippocratis: Corpora mūda, quę nihil habent sordium, non indigere purgatione. Et Christus inquit Iohan. 13. Qui lotus est, non indiget ut lauetur.

Non obscura est, neque difficilis ad explicandum hæc obiectio, si doctrinam prædicamentorum animo repetamus, & principalem significationem vocabulorum consideremus. Nam verbā, ut Dialectici tradunt, collocantur in prædicamentis, & quasi in classes suas distribuuntur secundum principalem significationem.

Sciant igitur studiosi, vocabulum fermenti in hac oratione, cum Paulus ait: Expurgate ἄλαυν ζύμην, referendum esse ad secundam qualitatis speciem, quę Græcis dicitur φυσικὴ οὐρανία. Significat enim morbum originis, & fructus quos arbor vitiosa gignit.

Nec fieri potest, ut ante obitum, supremaque funera vītæ funditus ex hac misera & mortali natura deleatur radix peccati, quę tamē indies singulos magis magisq; attenuari debet. Quod verò disertè inquit, nos esse ἄζυμα, id est, expertes fermenti, id principaliter ac proprie-

priè de relatione, hoc est, de imputatione diuinâ intelligas, qua Deus propter Filium nos recipit, & mundos pronunciat, perinde ac si lege integrâ & perfectam obedientiam præstissemus.

Hic cogitet pia mens, quanta vis sit amoris diuini erga nos, quod recipit non modò personam nostram horribiliter pollutam & cream, sed insuper obedientiam nostram, quanquam manca sit & imperfecta, iudicio ac testimonio suo comprobat, & honestissimum de ea præconium facit, vocans eam sacrificium, λογικῶν λατρείαν, aliisque amplissimis titulis ornans.

Postremò sicut aliâs sëpe hortator fui studiosis veræ doctrinæ Euangeli: Ita adhuc sum, ut in bonis artibus multum operæ studiique ponant, præsertim cum res ipsa ostendat, scripta Prophetica & Apostolica sine multiplici eruditione & magna varietate artium enarrari non posse, ut verbi causa, hunc versiculum: Expurgate vetus fermentum, ut sitis noua conspersio, sicut estis ἀζυμοι; nullus interpres luculentè enarrare potest sine cognitione Græce linguae, quæ monstrat originem vocabulorum, & sine Dialectica coniunctâ cum distributione potentiarum animæ. Ament igitur & colant studiosi bonas artes, & has linguas, in quibus Deus oracula sua nobis tradidit. Imò quæ sunt velut fasciolaræ illæ, quibus Christus inuolutus est.

Hanc commonefactionem adieci, quia omnes

mnes in hoc genere adhortationes prodesse
iuenibus intelligo.

De secundo Loco.

Multa nos monet ritus veteris Paschatis.
Vt enim in primo Paschate Deus transiens per
Ægyptum, interfecit omnes primogenitos, &
horribilem iram aduersus peccata declarauit,
econtrà seruauit Israélitas, quorum postes e-
rant conspersi sanguine agni: ita omnibus æ-
tatibus Deus transit per mundum, colligens
sibi æternam Ecclesiam ex genere humano,
& huic parcit, quia tincta est sanguine Filij
Dei, quem voluit esse μέστιτω καὶ ινέτιτω, καὶ ἀσχη-
μέται, deletis interim & miserabiliter oppressis
omnibus impiis, qui pertinaciter defendunt
idola, & cædibus iniustis grassantur, denique
libidinibus sese polluunt, quæ tām tetræ sunt,
vt eas fugiat & reformidet oratio. Sed tota
Paschatis allegoria aliâs copiosius enarrata
est.

De tertio Loco.

Celebremus festum in azymis sinceritatis
& veritatis. Veritatem opponit mendaciis &
falsis opinionibus, & vocat veritatem veræ do-
ctrinæ de Deo agnitionem & confessionem;
εἰληπτικήν, id est, candorem opponit hypocri-
si, falsæ inuocationi, sine timore, fide, constan-
tia, & vocat sinceritatem non fucatas virtu-
tes, timorem, fidem, inuocationem, constan-

tiam fidei. Hic etiam Antithesis consideretur. In iustitiae apud Græcos duo genera sunt : unum appellant *xanias*, quæ nō multum differt ab omissione. Talis *xania* fuit in Principe Honorio, qui Rauennæ desedit, nec opem tulit Romæ periclitanti. Cui cùm nunciatum esset, Romam perditam esse, credidit ille de pugnaci Gallo, cui nomen erat Romæ, significatum esse, admiratusque vehementer, tām subito periisse eum, qui cum Paulo ante festiuissimè luserat. Adeò socordis ingenij Princeps, nec quidquam paternæ autemque virtutis rese-rens.

Alterum genus *adixias* Græci vocant *τονγίας*, id est, iniuriam, quæ nocendi causa de industria infertur. Tales *τονγοὶ* sunt omnes Tyranni, qui & studium habent maleficendi, & plerunque malè faciunt, et si interdum aliquid boni faciunt. Hi à Paulo tristissima appellatione describuntur, cùm vocat eos vasa iræ, id est, organa exitialia multis gentibus, & vniuersæ hominum societati.

Pausanias honestissimam laudem tribuit Themistocli, Aristidi, Cimoni, Cononi & aliis quibusdam, qui de patria præclarè meriti sunt. At Periclem, Alcybiadem, Niciam & ceteros, qui in bello Peloponnesiaco fuerunt, vocat sine exceptione *ἀντόχειας καταποντίδος τῆς Ἑλλάδος*, id est, parricidas & euersores patriæ. Quid autem tristius cogitari potest, quam hominem esse pestem aliorum, præser-
tim patriæ & Ecclesiæ? Sanè huic homini non
nasci

hacsi optimum esset, proximum autem quam-
primum mori. Aduersus hoctantum malum
assidue petamus a Deo, ut nos faciat vasa mi-
sericordiae, non vasa irae, quorum cursus infelix
noceat magnae parti generis humani, atque i-
ta precemur: Gressus meos dirige, ne domine-
tur mihi omnis iniquitas.

*Finis Epistola, Anno Christi 1547, die 26 Aprilis, in
urbe Hierae, in Collegio honestissimo, quod a
Saxonum gente nomen accepit.*

DOMINICA QVA- SIMODO GENITI.

Epiſtola i Iohann. 5.

OMNE quod natum est ex Deo, vincit mundum: & haec est victoria, quæ vincit mundum, fides vestra. *Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quod Iesus est Filius Dei? Hic est, qui venit per aquam & sanguinem, Iesus Christus: non per aquam solum, sed per aquam & sanguinem.* Et spiritus est qui testificatur, quoniam spiritus est veritas. *Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in celo;* Pater, Verbum & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt. *Et tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, & aqua, & sanguis,* & hi tres unum sunt. Si testimonium hominum

accipimus, testimonium Dei maius est: quoniam hoc est testimonium Dei, quo testificatus est de Filio suo. Qui credit in Filium Dei, habet testimonium in seipso.

Sæpè iam dictum est, tria esse officia boni interpretis, enarrantis scripturam à Deo traditam per Prophetas & Apostolos. Primum officium est Grāmaticum, id est, verborū & totius orationis, qua Prophetæ & Apostoli vtuntur, germana & simplex declaratio. Cùm enim verbarerum notæ sint, fieri non potest, ut nativa sententia optimarum rerum retineatur, nisi hæc Grammatica & puerilis diligentia adhibeatur in exponendo genere sermonis. Verissimum enim illud est, quod Aristoteles inquit: Hos qui vires vocum non tenent, perinde decipi, ut falluntur in computando imperiti Aritmetices.

Secundum officium boni interpretis est Dialecticum, id est, monstrare imperitis ordinem sententiarum in concionibus Propheticis & Apostolicis, atque ostendere consilium, quid, cur dicatur, ex quibus fontibus singulæ partes manent, ad quem finem referendæ sint. Nam hæc commonefactio longè plus conducit ad veram scripturæ intelligentiam, quam moles commentariorum immensæ, in quibus τὰ πάρεργα τῶν ἐργῶν πλέιστα γίγνεται.

Tertium munus est, ut sit testis veræ senten-

tiz

tia acceptæ à Christo, & per Apostolos ad nos vñq; propagaræ. Summo etiam studio curáq; refutet omnes corruptelas, quæ transformant Euangelium in Legem aut Philosophicas opí niones. De hoc postremo munere Christus inquit Iohan. 15. Vos testes mei eritis. Et Paulus in Episcopo vtrunque requirit: *ίνα δύνατος ἡγετούς αὐτιλέγοντας εἰλέγχειν.*

Etsi autem multi nos exagitant, ac superbè derident, quod in Pauli & aliorum scriptorum enarratione nihil nisi Grammaticam operam p̄stare videmur: tamen certò nobis persuadeamus, ut illorem esse Ecclesiæ Dei magisque salutarem hanc qualecumque diligentiam enarrandi vocabula & phrases, quam longas & nugaces declamationes de choris angelorum, deque aliis rebus fictis & commentitiis, quas stulti quidam nouitatis affectatores impiè mirantur. Demus sanè hoc aduersariis, ut mirificam voluptatem ex his lusibus ingeniiorum capiant, & verè sint, iuxta Cleonis sententiam, *ὑπερόπται τῶν εἰωθότων, καὶ δέλοι τῶν ἀτότων,* id est, contemptores rerum vñitatarum, & serui absurdarum: Nos contrà velut infantes & lactentes Grammaticorum munere & officio fungamur, nec dubitemus, hunc laborem nostrum, quamquam puerilis & penè ridiculus videatur, tamen Ecclesiæ Dei profuturum esse, sicut Paulus constantissimè asseuerat *1 Corinth. 15. κόπος ὑμῶν σκέψι κενὸς εἰ κυρίῳ.*

Hæc ideo præfatus sum, ut lector intelligat, quid ex nostra commentatione in caput 5 E-

pistolæ Iohannis expectare debeat. Nam & phrasin Apostoli declarabimus, quæ dissimilis est orationi Pauli, & ordinem sententiarum indicabimus. Denique prudenter huic commentationi intertexemus refutationes falsarum opinionum, quæ lucem his sententiis eripiunt, & quasi noctem quandam offendunt.

*Omnis qui credit, Iesum esse Christum,
natus est ex Deo.*

Prima sententia docet nos de re omnium maxima & saluberrima. Omnes enim anxie querunt, quæ res nobis in patriam, è qua pulsus sumus, patefaciat aditum, quæ pacem nobis cum Deo conciliat, quæ nos ex inimicis amicos, ex alienis filios Dei charissimos faciat. Iohannes vno versu totum locum conficit: Omnis qui credit Iesum esse Christum, natus est ex Deo. Docet enim Ecclesiam non propagari carnali generatione, nec successione, quæ fit per electionem, ut cum collegia eligunt Episcopos, nec per imitationem humanam, ut cum hypocritæ imitantur ritus piorum. Sed homines fieri membra Ecclesiæ, & socios æternae beatitudinis, Deo regenerante corda per Euangelium & Spiritum sanctum. Sic alibi inquit: Qui nō ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Item: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non intrabit in regnum cœlorum.

Hanc

Hanc doctrinam necesse est assiduè propo-
ni & inculcari, partim ad refutandos Pharisæ-
os, & alias humanas persuasions, quæ longè
ab ipsa distant atq; à veritate, partim ad nos
ipsos erudiendos & confirmandos de hac sen-
tentia, quæ est propria & præcipua Euangeliij,
videlicet non aliter consequi homines à Deo
remissionem peccatorum, coniunctam do-
natione Spiritus Sancti & vitæ perpetuæ, nisi
hac ipsa fide, id est, fiducia promissæ misericor-
dix propter Christum μεσιτων ινέτω, η ἀσχι-
σία gratis. Agnoscis igitur summam Euan-
gelij eruditissimè comprehensam esse hac bre-
ui oratiuncula: Omnis, qui credit Iesum esse
Christum, natus est ex Deo. Sic & alibi dici-
tur: Hæc scripta sunt ut credatis Iesum esse
Christum Filium Dei, ut credentes vitam ha-
beatis in nomine eius.

*Omnis qui Patrem diligit, handubie
& illum amat, qui ex eodem pa-
tregenitus est.*

Secunda propositio concionatur de dilec-
tione Dei & proximi, quæ fidem necessariò
sequitur. Nam donec més fugit Deum, nō po-
test hoc decus in corde lucere. Postquam verò
cor statuit, placatum esse æternū patrem per
hunc Filium, quem misit in terram, & propter
hunc Pontificem exaudiri inuocantes, iuuari,
& donari inenarrabili lētitia in vita perpetua.
Hac fiducia cor inflammatur, & concipit a-
morem Dei & proximi. Verissimum est enim

illud, quod vulgò dicitur: Amor amore emittur: vel, ut ameris, amabilis esto. Cùm igitur immensa vis sit paterni illius amoris, quo Deus nos miseros & multipliciter contaminatos complectitur: necesse est in nobis inchoari mutuum amorē, respondētem aliqua ex parte huic cœlesti & diuinæ erga genus humanum charitati.

Huic autem dilectioni, quæ ad Deum refertur, cognata est, vel potius adiuncta ^{φιλοσοφία} erga fratres. Etenim, si memoriæ proditum est, Pub. Scipionem, cui à virtute Africano cognomen fuit, tanto amore erga fratrem L. Scipionem fuisse, vt eum in contentione honoris coniunctissimo homini, Lælio prætulerit: (Cùm enim ambo, frater & Lelius præuinciam Asianam decerni sibi peterent, P. Scipio affirmauit, se legatum fore fratribus, si ad eum summa belligerendi contra opulentissimum Asiam regem Antiochum deferretur) quo tandem animo nos esse debemus erga eos, quos vñus atque idem pater genuit, & nobis sensum fraterni amoris erga omnes Christianos indidit? Hoc cùm ita sit, perspicuum debet esse, Iohannem optimè pulcherrimeque complexum esse summam doctrinæ Christianæ, quæ duabus rebus continetur, fide & dilectione, vt alibi dicitur: Milita bonam militiam, habens fidem & bonam conscientiam. Et, dilectio ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.

His autem probè stabilitis & fixis, illud ex-

^{curien-}

Cutiendum est, ut sciatur, quid sit dilectio, ne
relinquatur aliquid vel suspicionis, vel erroris
in verbo. Dilectionem Iohannes definit in
Epistola cap. 5. Hæc est dilectio Dei, seruare
mandata eius cum quadam laetitia, quæ ori-
tur ex agnitione misericordiæ, beneficiorum,
& præsentiæ Dei, curantis & recipientis nos
propter Filium. Propter hunc Iohannis lo-
cum scholastici doctores de dilectione, ut phi-
losophi de iustitia yniuersali, locuti sunt. Sed
hæc iustitia dilectionis etsi hic inchoanda est,
tamen adhuc valde imbecilla & exigua est. I-
deò oportet cōsolutionem illam alteram pro-
poni, quod propter Filium Dei placeamus.

Mandata eius grauia non sunt.

Occupatio est, qua occurrit necessariæ ob-
jectioni. Subiicit enim aliquis in hac quæ-
stione, impossibilem esse obedientiam, quam
lex Dei postulat: Diligas Dominum Deum
toto pectore, & proximum sicut te ipsum. Hic
respondet Iohannes, legem Dei possibilem es-
se, scilicet per gratiam, quæ duas res cōplete-
tur: Auxilium Spiritus sancti, adiuuantis no-
stram imbecillitatem: & gratuitam imputa-
tionem, qua Deus propter Christum tegit re-
liquias peccati in sanctis. Nam vt extaret eui-
dens signum diuini erga nos amoris, Deus
largitus est nobis cœlestem illum Spiritum,
vt non solùm hoc monitore, sed eodem etiam
adiutore, cùm velimus, tūm possimus pie &
sanctè vivere. Deinde si quid deest de perfe-

cta & absoluta obedientia (deesse autem plura omnes prius fatentur) hunc defectum immensa Dei bonitas compensat, quæ in Christo nos consummatos esse pronunciat, tansper dum in resurrectione vniuersali erimus consummati, accepta integra nouitate, clara luce agnoscente Deum, & obedientia, in qua sentiemus ardenter amorem Dei sine ullis fordibus, & sine morte.

Quod autem scholastici doctores hic intempestiuè disputant de libero arbitrio, ut ipsi vocant, ac contendunt, hominem non renatum posse legi Dei satisfacere, id longè ab re ipsa distat, atque à veritate. Constat enim inter omnes, nisi inter eos, qui ipsi quoque insaniunt, naturam humanam non posse efficeri atque assequi, ut legi Dei sine Spiritu sancto integrè pareat & obediat. Hæc sententia non tam subtiliter, quam dilucidè explicata est à Paulo Rom. 8, cùm ait, Legem non posse fieri per carnem, id est, ab homine non renato. Item Sensus carnis inimicitia est aduersus Deum.

Quare ita statutum habeamus, nullam esse tantam facultatem in humana natura, quæ sine agnitione Mediatoris, & sine instinctu aflatunque Spiritus sancti, legi diuinæ, hoc est, decalogo satisfacere possit. Hæc quanquam ita sint in promptu, ut res disputatione non egeat, sunt tamen à nobis alio loco prolixius explicata.

Quia

*Quia omne quod natum est ex Deo,
vincit mundum.*

Cōfirmatio est superioris occupationis, in hanc sententiam: Si illud, quod minus videatur adesse propter difficultatem, adeſt Christianis renatis ex aqua & spiritu; consentaneum est, alterum quoque non omnino deesse, quod omnes intelligunt facilius ac expeditius esse. Sunt autem Christiani victores Diaboli & mortis, ut non solum vetera exempla, quæ propter vetustatem ab omni memoria remota sunt, sed etiam exempla quotidiana ostendunt. Hæc enim duo in omnibus temptationibus prij præcipue faciunt, intuentur verbum Dei, & inde consilium petunt, nec auelli se à verbo patiuntur. Petunt igitur auxilium à viatore Christo, & sciunt Ecclesiam talibus certaminibus exerceri, & velle in his certaminibus adesse Filium Dei. Ita omnes sancti vincunt diabolum & mundum, hoc est, tristissimam confusionem peccati & mortis, sicut Iohannes ait: Hæc est victoria vincens mundum, fides nostra, id est, nulla re magis armati paratiq[ue] esse possumus contùa furem & rabiem grassantis diaboli, quām fide, id est, agnitione Mediatoris, & petitione auxiliij diuini. Hoc posito atque concessso, confidum est, nō esse prorsus impossibilem piis inchoatam obedientiam seu dilectionem. Hæc summa est argumenti in textu, quam simplissimè recensui,

Ille

*Ille vincit mundum, qui credit, Iesum
esse Filium Dei.*

Quemadmodum suprà definiuit charitatem: ita hoc loco prudéter intertexit Dialecticam descriptionem fidei, de qua vniuersa scriptura Prophetica & Apostolica amplissimum præconium facit. Vult enim discerni fidem & inuocationem Christianam ab aliis religiōnibus, quæ Turcas, Iudeos, Ethnicos, & alios extra Ecclesiam aut impia fraude, aut anili superstitione obligant. Præcipua autem sunt hæc duo discrimina veræ & falsæ inuocationis: Alterum est de essentia Dei, alterum de voluntate Dei.

Ethnici, Iudei, Mahometistæ errant omnes de essentia Dei. Nolunt enim hunc esse Deum conditorem, qui est Pater Domini nostri Iesu Christi crucifixi pro nobis & resuscitati. Negant aliquem esse Filium Dei, genitum ex Patris essentia. Negant Spiritum sanctum à Patre & Filio procedere: imò execrantur hunc conditorem, quem Ecclesia vera prædicat. Errant igitur de essentia Dei cæteræ gentes, quæ Deum non patefactum, & sine verbo quærunt.

Alterum discriminem veræ & falsæ inuocationis est de voluntate Dei, de qua errant Ethnici, Iudei, Mahometistæ, & alij hostes Euangeli: quia nec possunt statuere, nec statuunt se exaudiri, & accedere ad Deum volunt sine Mediatore. At Christus expressè

presē dicit: Qui non honorat Filium, non ho-
norat Patrem. Item, Nemo venit ad Patrem,
nisi per me. Cūm igitur necesse sit in inuoca-
tione agnoscere Mediatorem Filium Dei, satis
apparet, inuocationem omnium gentium a-
liarum, quæ Euangelium contemnunt, da-
mnatam esse. Sed de hoc discrimine & aliâs
sæpè dictum est, & paulò accuratiùs in titulo
de Deo. Quare quæ ad hunc locum pertinent,
illinc studiosi assumant.

Finis Epistolæ, die 27 Aprilis, anno Christi

1547.

DOMINICA MISE- RICORDIAE.

Epistola I Pet. 2.

Christus afflictus est pro nobis , relin-
quens nobis exemplum , ut insequere-
mini vestigia ipsius ; qui peccatum non fece-
rat , nec inuentus est dolus in ore illius : qui
cūm maledictis incesseretur , non remaledi-
xit : cūm malis afficeretur , non minabatur .
Sed tradidit uindictam ei , qui iudicat iustè ,
qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo
super lignum , quò peccatis mortui , iustitiae
vineremus . Cuius eiusdem vibice sanati fu-
isti . Numeratis velut oues errantes , sed con-
uersti

*uersi estis nunc ad pastorem & curatorem
animatorum vestrarum.*

LOCI DVO.

- I. *De triplici meditatione passionis Christi.*
- II. *Particula capituli 53 apud Esaiam.*

De primo Loco.

Riplex est meditatio passionis Christi: prima vocatur paedagogica: altera est spiritualis: tertia vocari potest exemplaris. Ut enim lex paedagogus est ad Christum, & magistra disciplinæ, siue qua Spiritus sanctus non potest esse efficax in auditoribus Euangelij: Ita meditationem paedagogicam intelligimus de assidua lectione & auditione historiæ: Item de coniuratione causatum, quæ Christo hortatrices fuerunt, ut pulchram peteret per vulnera mortem.

Sed hæc meditatio procul segregata sit à superstitione, quæ quidem fuit multiplex, & penè infinita. Et huic adiungatur altera, quæ longè omnibus præstat. Est enim meditatio spiritualis timor & fides, hoc est, paucor ortus ex agnitione iræ Dei aduersus mea, tua, & omnium hominum peccata, quæ non potuerunt tolli atque deleri, nisi hic Filius pro nobis fieret victima. Hic discendum est, Deum vere & horribiliter irasci peccato, cùm non alia victima, non aliis officiis placari potuerit.

Dein-

Deinde & magnitudo consideranda est misericordia Dei, quod Filium pro nobis paculum fieri voluit, ac propter hanc tantam hostiam, certam salutem promisit. Nec verò utilius quicquam est ad castigandam securitatem in animis hominum, & ad excitandam pietatem, quam illius mirandi operis consideratio.

Tertia meditatio est exemplaris. Cùm enim Christus, Abel, David, & alij sancti horribiles rerum nas sustinuerint, sciamus voluntatem Dei esse, ut Ecclesia sit subiecta cruci, nec nos abiectos esse, etiam si dura patimur. Imitemur & inuocationem, quam illi in cruce exercuerunt, tolerantiam, spem, & alias virtutes. Hanc imitationem Petrus in Epistola clare præcipit: Christus est pro nobis passus, relinquens exemplum, in quod intuentes studatis insisteret vestigiis eius.

De secundo Loco.

Cùm tota Petri concio ex Esaiæ capite 53 repetita sit, quædam illius capituli sententiaz explicandæ nobis videntur.

*Peccatum non fecit, nec inuentus est dolus
in ore eius, sed Deo placuit conterere
eum in afflictione.*

Testimonium insigne atque illustre recitatatur de Christi innocentia. Nam Christus docēs in Iudea aliquot annos, doctrinam veram, salutarem, & necessariam auditoribus propo-

proposituit. Addidit & miracula, quæ magna^z
parti hominum profuerunt. Cæcis visum re-
stituit: leprosos sonauit: denique etiam mor-
tuos in vitam reuocauit. Hæc facta nemo sa-
nus condemnare potest impietatis aut scele-
ris, nisi velit ea calumniando peruertere.

Cùm igitur certum sit, in Christo nullum
peccatum hæsisse, quæri solet, quid causæ sit,
cur Christus tām tetra perpeſſus sit. Etsi aliâs
prolixè dictum est de causis passionis Christi:
Tamen Propheta hīc expreſſe causam repetit:
Deus voluitem conterere in infirmitate. Vo-
luntatem & decretum Dei fuisse inquit, vt à
Deo ipso tanta obrueretur ira, vt esset ^{aut} ^{goy}
pro nostris peccatis: Quia iustitia Dei flagita-
bat aliquam compensationem. Omnis enim
lex vel ad obediētiam, vel ad poenam obligat,
nec est leue quiddam, conteri à Deo. Aliud
est lacerari corpus ferro, aut à bestiis: aliud
& longè maius est, percuti à Deo, & sentire i-
ram Dei, hoc est, luctari cum tentatione de ab-
jectione.

*Non aperuit os suum, sicut agnus, qui
ad mactationem ducitur.*

Amplificatio à circūstantia qualitatis. Quæ-
rat enim aliquis; an Mæſias toleranter ferre
leuissimi homines onerarunt. Nam cæteri
homines circumuenti iniustis indicijs freme-
re & indignari solent, vt declarat acerbissima
querela Andromachæ apud Euripidem, quam
scelerata

sceleratè Menelaus deceperat. Cùm enim confugisset ad aram, ne à Menelao interficeretur, iubet ille afferri infantem, filium Pyrghi & Andromaches, eámque iubet ab ara discedentem redire ad percussorem. Quod nisi faciat, minatur se filium ipsius perfectum esse. Hic generosa mater filij salutem anteponit suæ, ac discedit ab ara. Postquam igitur ad percussorem reddit, insultat Menelaus deceptæ mulieri: Te, inquit, ego quidem interficiam, sed infantem filia mea perdet. Hic illa ingenti dolore affecta exclamat: O dignissimi odio Spartani, & execrandi ab omnibus hominibus, dolosi, mendaces, mendaciorum architecti, insidiosi, flexiloquas ambages captantes, aliud loquentes, & aliud sentientes, malè perteatis.

Hic ergo quæri potest; An Christus similem impatientiam in sermone aut gestu declarauerit? Imò inquit Propheta, tām alienus fuit ab omni fremitu & indignatione, vt ne verbo quidem calumnias manifestissimas & impudenter excogitatas refutarit. Discamus igitur, hoc exemplo commonefacti, tolerantiam in cōfessione, nec certemus cum aduersariis scurilitate aut leuitate orationis, sed causam nostram agamus ἀνευ προσιμιών, καὶ ἀνευ παθῶν.

Vulneribus eius sanati sumus.

Causa finalis passionis Christi est, pax & sanitas, hoc est, ne peccatum, quo diabolus nostram naturam horribiliter sauciauit, nos op-

primat & præcipitet in æternum exitium. Nam Christus est ille Samaritanus, reiectus à populo legis, qui obligat vulnera, infundit vinum, id est, prædicationem pœnitentiarum, & oleum, id est, Euangelium & Spiritum sanctum, quo inchoatur vita æterna. Hanc igitur consolationem infigamus animis, eamque nobis proponamus, cum verè expauescimus recitatione nostrorum lapsuum.

Quoties inuocas, obstrepit tibi tua immundicies: cur accedis ad Deum, qua fronte audes petere ab eo bona, cum multipliciter pollutus sis, & iram Dei & pœnam promerueris? Hic veniat in mentem dulcissimæ concionis propheticæ: Pœnam Christus sustinuit, sensitiram Dei in se deriuatam, ut nos pacem, id est, remissionem peccatorum & recōciliationem consequamur. Denique vulneribus eius sanitati sumus. Cum hoc modo ad ysum sententiarum transferuntur, fiunt multò magis claræ & perspicuæ, quam si longis & intempestiuis declamationibus explicitur.

Omnis sicut oves errauimus.

Sicut primus ad sanitatem gradus est, nosse morbum: ita verè dixit quidam, primum esse gradum ad virtutem, nosse vitia. Hæc dicta èo recito, ut cogitent studiosi, non intelligi, nec magnificeri beneficia liberatoris nostri Iesu Christi, nisi magnitudo humanarum misericordiarum ante oculos explicata cernatur. Quare prudenter huic concioni à Propheta intertextitur

texitur descriptio humanæ conditionis post lapsum, quæ sanè miserrima & luctuosissima est. Sic enim disertè ait: Omnes instar ouium errauimus.

Errant Ethnici, Iudæi, Mahometistæ de essentia & de voluntate Dei, qui Deum non patet factum & sine verbo querunt. Ideò horribilia portenta audacissimè semper finxerunt. Aliud Plato, aliud Stoici, aliud idolorum cultores senserunt. Denique sapientes apud Ethnicos prorsus nesciunt quid inuocent, ut Euripides inquit: O Iuppiter siue hoc cœlum, siue aliud quiddam. Hanc errorum varietatem intuentes expauescamus, & deploremus cœcitatem & audaciam humanam, quæ sic audet ludere fingendis tetris opinionibus de Deo. Nec tamen maneant tantum pauores, sed accedere consolationem & viuificationem oportet. Statuat igitur fides, iram Dei placatam esse per Filium, & propter Filium nobis remitti peccata, ac reddi iustitiam & vitam perpetuam, sicut mox in textu additur: Sed nunc conuersi estis ad Pastorem & Episopum animarum vestrarum. Hunc Pastorem veris & ardentibus votis oremus, ne vñquam nobis lucem doctrinæ cœlestis eripi sinat, aut errores quasi noctem quandam offundi, sed legem suam in nobis obsignet, nosque sanctificet in sua veritate. Huic Pastori laus & gloria tribuatur ad omnem æternitatem, Amen.

Finis Epistolæ, die 27 Aprilis, anno à nat-

uitate Filij Dei 1547, inter horribiles Reip. tumultus. Sed vt pueri coniecti in fornacem Babylonicam inter medias flamas defensi sunt, & beneficia Filij Dei celebrarunt: ita nostræ linguae & mentes hoc inenarrabile beneficium Dei celebrent, quod nos ereptos potestati tenebrarum, transtulit in regnum lucis suæ, & quanquam deerunt præsidia humana, tamen à Deo æterno Patre Domini nostri Iesu Christi, qui se tot & tam multis promissionibus patefecit, defensionem petamus & expectemus.

DOMINICA IV- BILATE.

Epistola i Petr. 2.

Dilecti, Obsecro tanquam aduenas & peregrinos, abstinetе à carnalibus concupiscentiis, quæ militant aduersus animam, & conuersationem vestram habete honestam inter gentes, ut in hoc quod obrectant vobis quasi maleficis, ex bonis operibus estimantes vos, glorificant Deum in die visitationis. Proinde, subditi estote cuius humanae creaturae propter Dominum, siue regi tanquam præcellentis, siue præsidibus, ut qui per eum mittantur ad vindictam quidem nocentium, laudem vero rectè agentium: quoniam

niam sic est voluntas Dei, ut beneficiendo obturetis os hominibus ignorantibus, tanquam liberi, & non veluti praetextum habentes malicie libertatem, sed tanquam serui Dei. Omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, regem honorate. Famuli subditis sint cum timore dominis, non solum bonis ac humanis, verum etiam prauis. Nam haec est gratia, si quis propter conscientiam Dei suffert molestias, prater meritum affectus malis.

LOCI SEX.

- I. Descriptio Ecclesie, splendide copioseque ornata.
- II. Concio de noua obedientia, quæ propter multas & magnas causas praestanda est.
- III. De dignitate ordinis politici.
- IV. De usu libertatis Christianæ.
- V. De officiis seruorum erga dominos.
- VI. De generibus calamitatum.

De primo Loco.



Rauissima & copiosissima Ecclesie descriptio his verbis proponitur: Ecclesia est coetus hominum à Deo vocatus, nō quidem ad occupandas imperia mundi, sed ad hoc munus præcipue, ut doceat Euangelium, per quod Deus verè

vult esse efficax, & in mentibus accedit veram notitiam & inuocationem sui, & vt celebret hoc ingens beneficium Dei, quod à tenebris & erroribus reuocata est, traducta que ad lucem & vitam aeternam, in qua fruetur Dei & Filii eius Domini nostri Iesu Christi, & Spiritus sancti iucundissimo conspectu, quem bona mens præcipue expetit.

Hæc descriptio non solum discernit Ecclesiam à ceteris gentibus, quæ nomen populi Dei falsò ad se transferunt, sed hunc etiam frumentum longè vberiorem nobis exhibit, quod nos consolatur & confirmat, aduersus tragicas declamationes aduersariorum, quibus crima omnium maximè detestanda nobis obiiciunt, motæ seditionis & hærefoes, & nos execrantur tanquam pestes generis humani. Nec dici potest, quantum homo moderatus, qui non vult videri ἀνθρώπῳ καταποτίσει της οὐκλανσίας, his conuiciis perturbetur. Imò facilius esset multis, acerbissimos cruciatus corporum perferre, quam audire hæc venenata conuicia. Multi etiam metu talium criminationum fugiunt professionem Euangeliij.

Quare ne frangamur atrocissimis declamationibus hostium Euangeliij, saepe & multum cogitemus hoc præconium, quod Deus facit de pusillo grege, amplectente ipsius verbum incorruptum: Vos estis gens electa & sancta, quæ fungitur munere sacerdotum celebrantium beneficia totius diuinitatis, aeterni Patris, Filii, & Spiritus sancti, quæ sunt, redemptio

ptio generis humani, & liberatio à potestate
diaboli & à morte æterna, & donatio vitæ æ-
ternæ.

Epaminondas interrogatus, quidei in vita
iucundissimum accidisset, respondit, inde se
maximam voluptatem cœpisse, quod paren-
tes adhuc spectatores haberet suæ gloriæ. Nam
vivis parentibus liberauit seruitute patriam,
victis ingenti prælio hostibus. Et Hector a-
pud Neum inquit : Lætor laudari me abs-
te pater laudato viro. Ea est enim iucunda
laus, quæ ab iis proficiscitur, qui ipsi in laude
Vixerunt. Ita nos hanc sumمام voluptatem
ducamus, lenientem omnes dolores, quos no-
bis afferunt conuicia virulenta hostium Eu-
angelij, audire tantum & tam gloriosum præ-
conium, quod Deus ipse sua voce veræ Eccle-
siaz profitenti incorruptum Euangeliū, cu-
ius nos membra sumus, tribuit.

De secundo Loco.

Etsi alio loco vberius & ornatiūs differitur
de causis, cur præstanta sit noua obedientia
post acceptam reconciliationem : tamen hic
quatuor causæ graues & magnæ recensentur,
quas nefas est silentio præterire.

Prima est: Vos estis populus Dei. Ergo ne-
cessere est omnes, qui sunt membra veræ Eccle-
siaz, parere & obedire Deo præcipienti nouam
obedientiam. Nam Rom. 8 exp̄ssè dicitur:
Debitores sumus Deo, vt viuamus non qui-

dem secundum carnem, sed secundum spiritum. Et Plato inquit: Tunc vnamquamque Remp. optimè se habere, quando ipsa suum nomen sonat coram Deo & hominibus. Cum igitur Ecclesia verè appelletur populus Dei, non dubium est, debere eam hoc insigne atque illustre nomen coram Deo & hominibus, non verbis tantum, sed vera etiam pietate & virtute sonare.

Secunda causa. Tota Ecclesia exulat in hoc mundo: Ergo maneat intra metas τῶν παροχῶν. Peregrinis autem atque incolis nihil praeter suum officium agere licet, nihil de alieno inquirere, minimèq; esse in aliena Rep. curiosum. Quamobrem amet Ecclesia tranquillitatem, & tantum agat propria, nec sese polluat societate scelerum, quibus maxima pars mundi horribiliter contaminata est.

Tertia causa. Non minor est virtus, quam querere, parta tueri, ut Poëta ait. Optimam autem hæreditatem à Patre æterno traditam libris, omniq; patrimonio præstantiorem tenere tuerique non possumus, nisi cupiditates errantes, quæ repugnant & aduersantur voluntati Dei, opprimamus atque extinguamus. Quare vel ob hanc causam non laxemus frenos cæcis ac temerariis cupiditatibus, sed iustum & legitimam hæreditatem vitæ æternæ omnibus officiis Deo placentibus retinere studeamus.

Quarta causa. Quoniam non nobis solum nati sumus, sed ortus nostri partem patria sibi vendicat, partem parentes, partem amici: homines

mines autē valdē offendūtur malis exemplis, præsertim eorum, qui in numero Ecclesiæ haberi volunt; magna etiam scandali ratio in nostra vita habenda est, ne aliis occasionem præbeamus leuius sentiendi de doctrina , aut quod longè tristius est, afficiendi Deum contumelia, qui fons & autor est doctrinæ, quam nos in mundo circumferimus. Etenim David ob hanc causam tristissimas pœnas sustinuit, quod , rapta alterius coniuge , & doctis dolis imperfecto marito , Ethnicis causam dedit dicens conuicia aduersus Deum patefactum populo Israël. Summa igitur cura, summoque studio vitemus omnem turpitudinem, ne nomen Dei, vt Paulus ait, propter nos malè audiatur.

Si quis autem adeò ferus est, & immanis, vt his causis non impellatur ad castè sancteque viuendum, haud sanè intelligo , quidnam sit, quod eum alicere atq; excitare possit. In Hippocratis iuramento hæc verba leguntur, infingenda intimis animorum sensibus: ἀγρεσὺς τηγένος καὶ βιον τὸν εὔπονον, καὶ τέχνην τὴν εὐπολὺ, id est, castè & sancte conseruabo & vitam meam, & professionem meam. Utinam omnes Christiani sic affecti essent, & simile studium haberent ornandæ atque illustrandæ doctrinæ pii officiis, quæ & Deo grata sunt, & rectè iudicantium testimonio comprobantur.

Detertio Loco.

Homines politici perpetuò nos accusant,

quod iura & neruos humanæ societatis, ac
imperiorum conuellamus, & labore docendi
Euangelij nihil efficiamus, nisi corruptelam
bonorum morum, & disciplinæ laxationem.
Hanc vnam rem gubernatores acerrimè ope-
runt, maximèque detestantur. Sed hac in cau-
sa & benevolos obiurgatores placare, & inui-
dos vituperatores confutare possumus, vt al-
teros reprehendisse se pœnitent, alteri didicisse
se gaudeant. Nam qui admonent amicè, do-
cendi sunt, qui inimicè insectantur, repellen-
di.

Fateor præclarè scriptos esse libros de Rep.
Aristotelis & Platonis, sed nulla oratio magis
ornat & illustrat dignitatem ordinis politici,
quam conciones Prophetarum & Apostolo-
rum. Docent enim, vnde primùm orta & pro-
fecta sit Magistratum autoritas, videlicet à
voluntate Dei, qui genus humanum, sua libi-
dine & improbitate in ruinam prolapsum,
hoc modo vult coherceri. Sice enim scriptum
est Gene. 9. Qui fuderit humanum sanguinē,
fundetur sanguinis illius per hominem, id est,
per Magistratum. Et Paulus disertè vocat Ma-
gistratum ordinationem Dei, quæ vox quam
multa complectatur, suo loco dicemus.

Deinde scriptura concionatur de subiec-
tione debita Magistratui, & tres gradus honoris
postulat. Quorum primus est honesta opinio
de omnibus gradibus in vita politica, de legi-
bus, de iudiciis & de pœnis, quas Magistratus
iure diuino exercet. Alter gradus ènixeta, quæ
mule

multa errata gubernatorū tegit & dissimulat,
 & non neceſſe habet omnia ad viuū refecare,
 sed publicæ tranquillitati, & cōmuni imbecil-
 litati hominum ſāpē aliquid condonat. Ter-
 tius gradus eſt obedientia , qua ſubiiciunt ſe
 homines imperio Magistratum & potestati,
 ei que tribuunt neruos regendarum Rerump.
 velut opes, copias, aliásque res neceſſarias.

Ex his omnibus, multisque aliis perſpicu-
 um eſt, iniuſtē nos accusari à gubernatoribus
 Rerump. quōd faces ſimus bellorum ciuili-
 um, & autores discordiæ, cūm quidem multo
 accuratiūs præcipiamus de omni genere offi-
 ciorum, quaे Magistrati debentur, quām o-
 mnes Philosophi inter Ethnicos.

Porrò diligenter conſiderandum eſt, quas
 metas hæc obediētia erga politicum ordinem
 habeat. Multi enim immoderatè amplificant
 obligationem erga ciuilem potestatem, & ra-
 tiocinātur εκ ὀλίγων τε πολλῶν, ut ait Thucydides.
 Nos igitur Regulam teneamus Act. 5 tradi-
 tam: Oportet Deo magis obedire, quām homi-
 nibus. Item, Si quis aliud Euangeliū doce-
 bit, ſit anathema. Has regulas immotas & æ-
 ternas omnibus rebus humanis, quæcunque
 dici aut cogitari poſſunt, anteferamus. Qua
 quidem in re Liberij Episcopi exemplum imi-
 temur, cuius historiam Ecclesia meditandam
 proponit die 18 Maij.

Cūm enim Athanasius pius & salutaris do-
 ctor Ecclesiæ, qui que acerrimè defendit glori-
 am Filij Dei aduersus Arianos, iniuſto iudicio
 cir-

circumuentus esset, & Liberius Episcopus Romanus ab Imperatore Constantio alliceretur ad hunc virum condemnandum, grauiter Liberius obtemperauit sententiæ Plautinæ, quæ imaginem continet omnium piorum concionatorum:

Seruam operam, liberam linguam herus
meus iussit me habere.

His enim verbis apertè & ingenuè Imperatorem obiurgat: Ecclesiastica iudicia cum summa iustitiæ obseruatione fieri debent. Subiiciente autem in hac quæstione Imperatore: Quota, inquit, pars tu es orbis terrarum, qui solus defendis hominem sceleratum, ac mundi totius pacem dissoluis? Liberius παρέπονα-ζόμενος respondet: Non diminuitur solidine mea verbum fidei. Nam & olim tres solùm inuenti fuere, qui edicto regis Babylonici resisterent. Deinde cùm nouo modo Imperator tentaret Episcopi animum, ac promitteret ei felicem redditum in urbem Romam & veterem dignitatem, constantissimè respondit: Valedixi iam fratribus Romanis. Potiores enim sunt mihi leges Ecclesiasticæ, quam vita Romæ degenda. Imperator post duos dies requisitum Liberium & perseverantem in sententia, imperauit relegari in Thraciam, & abeundi misit solidos quingentos in sumptus. Liberius illi qui attulerat; Abi, inquit, redde Imperatori: opus enim his est militibus ipsius. Hæc & alia multa satis declarant, Liberium memorem fuisse stipulationis in Baptismo fa-

et

Et, quæ omnes Christianos obligat, ut pro sa-
cris & soli dimicent, & cum aliis.

De quarto Loco.

Tristis descriptio est naturæ humanæ apud Ieronimam cap. 17. Prauum est cor hominis, & tristum, & inscrutabile. Hæc descriptio cum ex aliis rebus permultis intelligi potest, tūm ex hac re vel maximè, quod homines prophani aut hypocritæ dulcissimum & grauiissimum nomen libertatis transferunt ad Cyclopicam & barbaricam licentiam viuēdi. Multos enim videre licet, non aliter viuentes prætextu libertatis Christianæ, quam solutè & liberè pecudes in sylvis vagantur. Ita fertur equis auriga, neque audit currus habenas, ut Poëta ait.

Alij transformare conantur libertatem Christianam in στισαχθίαν καὶ ἀλειτρεγγίαν, id est, immunitatem onerum ciuilium. Quæ enim maior pestis Stygiis sese extulit vndis, quam seditio mota à colonis aduersus Magistratum? Ut enim Gracchi quondam de legibus Agrariis tumultuantes miserabiliter oppressi sunt: Ita coloni passim ex agris cōgregati, populari & maximè plausibili oratione de libertate Christiana malè intellecta, mouerunt tumultus exitiales sibi & aliis.

Quis porrò ignorat, quanti furores extite-
rint Anabaptistarū, λυόντων πάντας τὸς νόμους, id
est, abrogantium leges, & omnia vincula ho-
nestæ

nestæ disciplinæ ac ceremoniarum, quæ ~~ad~~
Iēsas ἡ ἐνταξις ἔρεκα seruandæ sunt, vt Paulus
præcipit Corinth. 14. ὥνται εὐχημόρες ἡ κατὰ
τάξιν γινέσθω, id est, omnia decenter & pulchro
ordine fiant. His igitur extremis morbis ex-
tremæ & exquisita remedia opponenda sunt,
id quod euidenter & grauiter facit Petrus, in-
quiens: ὡς ἐλένθεροι, οὐ μὴ ὡς επικάλυψα ἔχοντες
τῆς κακίας τὸν ἐλένθερον, ἀλλ' ὡς οἰουλοὶ θρῶν, id
est; Estis quidem liberi, sed hæc libertas non
prætexenda est prauis cupiditatibus. Imò,
singuli agnoscant, se esse seruos Dei. Cæterum
ex secundo præcepto Decalogi: Non assu-
mes nomen Domini Dei tui inuanum, quasi
quodam sancto augustóque fonte omnis hæc
de libertatis vsu manat oratio.

De quinto Loco.

Graue præceptū hīc traditur de officio ser-
uorū erga dominos. Serui, inquit, pareant &
obediāt cum omni tremore. Neq; verò bonis
& æquis solūm, sed etiam morosis. Hæc grauis
concio opposita est instar remedij vitiolis mo-
ribus seruorum, quorum imago in comœdiis
proponitur. Ludunt serui fallaciis, vt Syrus:
Huic quidem consilio palmam do, hīc me
magnifice effero, qui rem tantam & potesta-
tem habeam tantæ astutiaz, vera dicendo vt
eos ambos fallam. Sed ille idem veterator
paulò pōst deprehensus, quid ait? Perij scele-
lestus;

mus, quantas turbas consciui insciens? Non diu fefellerat senes, sed sibi plagas accersuerat.

Econtrà optimi & modestissimi serui exemplum in historia Jacob narratur. Jacob annis 20 maximas molestias morosissimi hominis Laban tolerauit, cuius tanta fuit *ἀσοργία* erga generum Jacob, vt eidem redeunti ad patrem vñā cum grege coniugum ac liberorum, ne obulum quidem in sumptus viatici dederit. Hanc morositatem significat græca vox *εὐθλῶς*, sicut è regione ἐυκολῷ idem præfert, quod facilis humanus, æquus, placidus.

Etsi igitur iubet summa animi æquitate communes infirmitates dominorum, quæ non puniuntur legibus, tegere ac dissimulare, denique etiam perferre, vt, quòd alius propensionior est ad iram, alius attentior ad rem, alius morosior, &c: tamen casus necessariæ defensionis aduersus atrocem iniuriam dominorum vniuersaliter exceptus est, etiam si non fiat illius expressa mentio. Ita Harpagus acceptiuit Cyrum ad puniendum Astyagen, qui ei Filium edendum præbuerat. Et quoniam historia propter exemplum immanitatis memorabilis est, breuiter eam adolescentum causa recensebo.

Apposuit Medorum immanissimus rex Astyages Harpago cōsiliario suo, patri, filiu epulandum, offensus ipse optimis illius cōmonefactionibus ad regiæ humanitatis placabilitasque dignitatem retinendam. Atque inter
eden.

edendum subinde percontabatur, lautæne es-
sent epulæ, opiparumne condimentum, pla-
cerétnæ ciborum concinnatio ac saporum.
Vtque patrem ipsum plenum iam abundè vi-
dit, filij caput & membra mutilata in lanci-
& an satis comiter exceptus esset interroga-
uit, ne tibi fortasse Thyestæ illæ cœnæ com-
menticiæ videantur ac fabulosæ. Ad aspectum
igitur tam fœdum, immanem, incogitatum,
regiāmque interrogationem ne Harpagi non
recenseatur, responsum huiusmodi illud qui-
dem fuit; vt vultu, quām maximè potuit,
composito diceret: Omnem apud regem cœ-
nam periucundam esse. Hæc immanitas cau-
sa fuit, cur à Medis Imperium ad Persas trans-
latum sit, cùm quidem Harpagus à Cyro opem
peteret, vt prolixè narrat Herodotus.

Si autem iniuria non est notoria, vt loquun-
tur Iurisconsulti, toleranda est iniuria, vt ma-
neat regum iudicatarum autoritas. Non e-
nim debent priuati dissoluere statum Reip-
uxta illud: Qui Magistratui resistit, Dei ordi-
nationi resistit. Et Christus inquit: Qui gla-
diūm acceperit, gladio peribit. Nam gladium
accipere, significat accipere non datum à legi-
bus & à Magistratibus, id est, seditionis
& non obtemperare præsentibus Magistrati-
bus. Quare Magistratibus condonandæ sunt
iniuriæ non notoriæ. Sic Iason Phæreus dixit:
Eum qui tendat ad summam iustitiam, mul-
ta interim iniusta in rebus leuioribus admit-
tere

tere, quæ condonanda sint, summam imperij tenenti, & formam Reip. ac leges conseruant. Et Eurip. inquit in hanc sententiam, τὰς τῶν κρατεύοντων ἀμαρτίας φέγειν δεῖ.

De sexto Loco.

Ingens discriminis est inter calamitates, quæ sunt τιμωρίαι certorum scelerum, & eas quæ sunt μαρτυρία, hoc est, testimonia doctrinæ & immortalitatis. Etsi autem homo, qui ad supplicium dicitur, τῆς ἀρούρας ἔρεξα non debet desperare, sed potius cogitet, quæ causæ sunt pœnarum politicarum, & statuat gratiam vberiorem esse peccato, denique illud Esaiæ animo repeatat: Habitans cum contrito corde & humili spiritu, yt vivificet cor contritorum, & erigat spiritum humilium: tamen res atque euentus declarat, quid intersit inter patientiam latronis, & tolerantiam Laurentij perferentis supplicium.

Nam in bona causa, decet habere bonum animum, ξὺν τῷ δικαιῷ γδ μέγ' ἐξεσιν φεοτεῖν. Quare non dubium est, maius esse robur, majorēisque constantiam animi huius, qui bene sibi conscientia est, nec propter scelus aliquod manifestum morte mulctatur, quam illius, qui meritas pœnas legibus persoluit. Ideo grauis est & vera oratio Petri præcipientis, ne patiamur instar latronum, sed conscientiam afferamus ad supplicium, non pollutam malis opinionibus, quales sunt Anabaptistica &

O

similes, nec sauciata venenatis sceleribus, sed
ouantes ad supplicium exemplo Stephani ea-
mentem & oculos referamus, quoties propter
doctrinam perferimus mortem & supplicia,
ad amplissimum præconium , quod Filius
Dei in postremo mundi die de nobis facturus
est. His sunt viri, qui pro testamento Dei cor-
pora sua tradiderunt, & in sanguine agni la-
uerunt stolas suas. Præclarum est enim illud,
quod Cyprianus dixit: Causa facit martyrem,
non ipsum martyrium.

*Finis Epistolæ, die 18 Maij, quo die Liberij Episco-
pi Romani historia proponitur, qua imma-
ginem totius concionis explica-
ta continet.*

DOMINICA CANTATE.

Epistola i Corinth. 15.

Non omnis caro eadem caro, &c.

DOMINICA VOCEM IVCVNDITATIS.

Epistola i Corinth. 15.

Ecce mysterium dico vobis, &c.

De his Epistolis, quoniam in Enarratione
capitis

capitis 15 prioris ad Corinthios satis multa
diximus, illinc assumes, quæ huc pertine-
bunt.

DOMINICA EXAUDI.

Epistola i Pet. 4.

Sicut igitur sobrū, & vigilantes ad oran-
dum. Ante omnia verò charitatem inter
vos vehementem habentes. Nam charitas
operiet multitudinē peccatorum. Hospitalēs
estote erga vos inuicem, sine murmurationi-
bus: ut quisq; accepit donū, ita aliis in alium
illud ministrantes, ut boni dispensatores va-
riæ gratiæ Dei. Si quis loquitur, loquatur ut
eloquentia Dei: si quis ministrat, ministret
tanquam ex virtute, quam suppeditat Deus,
ut in omnibus glorificetur Deus per Iesum
Christum.

LOCI QVATVOR.

- I. De temperantia.
- II. De ἔμεινα, quæ est pars dilectionis.
- III. Quem ad usum conferri debeant dona excellen-
tia & diuina.
- IV. De munere docendi in Ecclesia, quod tribus ex
rebus potissimum constat, verbo Dei, petitio-

*ne auxiliū diuini. & sine prcipuo, ad quem
omnes actiones humanae referri debent, id
est, celebrationē Dei.*

De primo Loco.

Nter omnes causas, quæ nobis monitrices sunt & cōcionatrices detēperātia, prēcipua est hæc, quod temporetantia, quæ Græcis οὐ φέσιον dicitur, necessaria est ad exercēdum virtutum omnium reginam, videlicet, agnitionē & iuocationē Dei. Verissimū est enim illud, quod quidam ex Eremitis dixit; nullū esse difficultius opus, quām dicere precationē Deo. Cūm enim Christus dicat: Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate, difficultas facilē intelligi potest. Fiat iuocatio Spiritu, id est, non hypocrisi, non βατλολογίᾳ, sed pio motu cordis, & fiat in veritate, id est, vera Dei agnitionē directa ad veram Deum, & ad Mediatorē. Concurrere igitur necesse est veram cogitationem de Deo, & motu cordis.

Hæc si tenemus, quæ mihi quidem non vindicentur posse conuelli, profectò ab hominibus ebriis nullam iuocationem fieri posse confitendum est. Ut enim fontes iniecto cœno turbantur: sic mentis humanæ præstantissimæ actiones assiduis humorum agitationibus impediuntur. Deinde non est ociosæ & ebriæ mentis, de magnitudine peccati, de ira Dei, de fide accipiente remissionem cogitare. Sed hac pro-

Propria & arcana sapientia est Ecclesiæ Dei,
quam Spiritus sanctus in vero certamine, &
vera lucta piis monstrat.

Summa igitur miseria est hominis ebrij,
quod vivit sine Deo, hoc est, non invocat Deum,
non habet custodem aduersus diabolum,
non regitur luce Spiritus sancti. Quam porro
infirma sit sapientia ac virtus humana, desti-
tuta excubiis & custodia Filij Dei, maximè o-
stendunt heroum exempla: ut in Pausania
duce Laconico, quam ardentes initio impe-
tus ad virtutem fuerunt, quibus aliquantò
post in ocio labefactatis, quæ dedecora secuta
sunt? Fuit enim socius & quasi quidam comes
laborum & consiliorum Themistoclis in pu-
gna Salaminia, cuius tanta gloria est, ut ante
Salaminem Neptunus ipse obruiturus sit,
quam Salaminij Trophæi memoriam.

Cum autem Xerxes fugiens in Græcia Mar-
donium reliquisset, adiuncit copiis militum,
hunc ingenti prælio cum paucis Lacedæmo-
niis Pausanias vicit ad Plateas, & quod maius
est victoriæ decus, in summa potestate rerum
omnium modestissimè vixit. Nam cum ei hor-
tator esset Lampo Ægyneta ad crudelitatem
excendam in cadavera hostium, quæ ante
oculos miserabiliter strata iacebant, & hanc
rem gloriosam fore apud cæteros Græcos affir-
maret, Pausanias ad hunc modum respon-
dit.

Non decet Græcos, assuefactos ad humani-
tatem, sed barbaros, iuris expertes in corpora

mortuorum sanguine. Parcere enim prostratis
scit nobilis ira leonis, ut in veteri versiculo di-
citur. Quod verò ad gloriam attinet, scito, me
non posse omnibus Græcis mea facta proba-
re, sed contentum esse iudicio & testimonio
Spartanorum, qui laudant & approbat san-
ctam vitam & professionem. Hæc responsio
apud Herodotum extat libro 9, & digna est,
quam perpetua conseruemus memoria, præ-
sertim ad contemnendos hominum leuum
& inconsideratorum calumnias & reprehen-
siones, ἀποχρᾶ δὲ μοὶ Σπαρτιάταις ἀρεσκόμενοι·
οὐαὶ μὲν λέγεται, καὶ δοῖα ποιεῖν.

Cum autem captiua ad eum mulier à mili-
tibus duceretur, purè & continenter se gessit.
Nam petenti mulierculæ veniam, & vetera
hospitij iura commemoranti, non modò cle-
menter potestatem fecit redeundi in patriam,
sed etiam viros ei senes & graues addidit co-
mites itineris, qui pudicitia muliebris custo-
des essent aduersus militum petulantiam,

Quod igitur de Hierone Pindarus pradi-
cat, idem meritò atq; optimo iure de Pausania
dici potest, decerpisse eū ex omnibus virtuti-
bus summum decus seu florē. Quanquam enim
victoria res insolens & superba est, tamen hic
vir seruauit modum, non elatus magnitudine
successuum, aut splendore pulchritudinéque
recentis victoriarum. Deinde etsi natura ad libi-
dines propensus erat, tamen hoc ingens de-
cus fœdis voluptatibus deformare noluit, il-
lud Bacchilidis hauddubie animo repetens:

Vt nisi sit vino facies expressa colore,

Non decus in picto corpore truncus habet.

Sic hominis mores spreti & sine honore iacebunt,

Ni sunt ornati laude pudicitiae.

Sed verissimum est illud, quod Filius Dei inquit: Sine me nihil potestis facere. Nulla est enim tam excellens virtus, quam Diabolus, si destituta sit excubiis & custodia Filii Dei, degradu non deiucere possit. Nam hic tantus vir Paulò post insignibus probris deformatus est, & penas petulantiae dedit.

Cum enim praefectus esset Byzantij, pueram nobilem inuito patre rapuit, & strupratam postea interfecit. Deinde consilia proditionis cum rege Persico agitauit, quae patriæ magnam pestem perniciemque allatura erant. Quamobrem Ephori conscij horum consiliorum, Pausaniam alio quidem praetextu in patriam reuocarunt, ut penam de eo sumerent. Sed hic exploratè cognita & percepta deliberatione Magistratus, in sacellum quoddam confugit, à quo neminem abstrahi licebat.

Cum autem Ephori decreuissent, vt sacello obstructo & munito praesidiis Pausanias fame necaretur, pressis & flebilibus modis suam ipsam calamitatem deplorauit, & Simonide poetam iam pridem mortuum multoties clara voce appellauit, inquiens: O Simonide Simonide. Interrogatus autem à custodibus, cur toties Simonidem vocaret, respondisse dicitur, se in coniuicio quodam post Plateensem vi&to-

riam Simonidem superbè rogasse, vt aliquid sapienter conuiuis diceret. Poëtam verò hoc vnum dixisse: μέμνοντο ἀνθρώποι, Memento te hominem esse, ea lege natum, vt omnibus fortunæ telis proposita sit vita tua.

Hanc historiā partim ex Herodoto, partim ex Thucydide libenter recitaui, quia de maximis rebus lectorem commonefacit. Continet enim exemplum humanæ imbecillitatis, descriptæ notis quidem, sed elegantissimis versiculis ab Ouidio:

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,

Et subito casu, quæ valuere, ruunt.

Deinde monet nos necessariam esse in tantâ infirmitate naturæ, & in tantis diaboli insidiis custodiā Filij Dei, & gubernationem Spiritus sancti, quæ ardentissimè à Deo petentia est, iuxta promissionem Lucæ u traditam: Quantò magis Pater vester cœlestis dabit Sp̄ititum sanctum petentibus?

De secundo Loco.

Duo sunt gradus præcipui, in quibus exercenda est ὁμείωσις, quæ est pars dilectioni. Prior est, eleganter ferre communes infirmitates, quæ sunt naturæ vitia, nec puniuntur legibus, vt quod aliis natura est morosior, aliis ambitione aut æmulatione ardet, aliis ad rem attentior est. Hę communes infirmitates tandem ac dissimulandæ sunt iuxta Christi regulam, de abluendis amicorum pedibus. Et Pin'darus

darus venustissimè inquit: Iuxta vnum bo-
num dij distribuunt duo mala, quæ insipien-
tes non nō runte eleganter ferre, boni verò me-
liora & pulchriora promunt.

Idem omnibus in amicitia faciendum est.
Cūm enim nemo tam monstrosus sit, quin si-
mulachra quædam virtutis habeat, & in hac
naturæ imbecillitate nulla perfecta virtus sit,
debet bonos & moderatos homines ~~amēre~~
& dilectionem exercere in omnibus morbis
sanandis, & flore virtutum decerpendo, ut
Pindarus ait.

Alter gradus est, ambigua facta non calu-
mniösè in deteriorem partem flectere, non
leuia errata odiosè amplificare, nec arcanum tra-
ducere. His occasionibus homines maleuoli
sæpe atroces & tragicos tumultus excitant, se-
stucam in alieno oculo culpantes, cùm trā-
bem in suo negligant.

Spero ex his quæ dixi, non esse obscuram
Petri sententiam, qui ait, dilectione tegi mul-
titudinem delictorum, scilicet in Christiana
communitate, in qua sæpe incidunt offenditio-
nes, quæ dissimulandæ sunt, & delendæ ex a-
nimis, atque extinguedæ. Cæterum ut arcæ
fœderis tegebatur tabula aurea, quæ vocabatur
propiciatorum: Ita sciamus Ecclesiam tegi
aduersus iram & horrendum iudicium Dei,
Mediatore Christo, propter quem, quia est
propiciator, Deus parcit nobis, recipit nos, ac
seruat nos. Nam sine hoc umbraculo natura
hominū opprimeretur magnitudine iræ Dei.

Detertio Loco.

Magnifica quædam res est excellentia præstantiæque donorum, quæ Deus hominum generi distribuit, sed longè maius decus est, moderatè & salutariter uti donis, quæ à Deo ad hominum vitam permanant. Multos enim excellenter doctos videre licet tanta leuitate & iactantia, his ut fuerit non didicisse melius: alios pecuniæ cupidos; gloriæ nōnullos, quod quidem mihi videtur esse turpissimum. Nam quælibet res illum optimum & pulcherri-
mum finem prospicere debet, ad quem à prin-
cipio facta & constituta est. Sic cœlum, terra,
plantæ, animantia suis legibus obtemperant,
& hominum vitæ eas utilitates afferunt, ad
quas initio conditæ sunt.

Hanc distributionem finium Petrus in na-
tura considerans, grauissimè monet, quem ad
vsum dona excellentia & penè diuina confe-
renda sint. Non vult nos, deserta & abiecta gu-
bernatione rerum, querere latebras & igna-
uum ocium, quod procul à periculis segregatum
est, ut Epicurei præceptum tradiderunt,
λάθε βιώσας, id est, benè qui latuit, benè vixit:
sed præcipit, ut suam quisque vocationem di-
ligenter obeat, & hominum vitæ salutariter
seruiat, nec magis de priuata opinione solici-
tus sit, quam de gloria Dei & Ecclesiæ salute.
Hoc modo Christus excellentibus donis vesus
est. Non enim voluit perpetuò latere in illa sua
luce ignota omnibus creaturis, sed ad nos
prodiit

prodidit, & doctrinam hominibus tradidit de vita & latitia inenarrabili. Denique non exeruit suas vires contra vocationem, sed semet ipsum inaniuit, formā serui induens, & Patri obediens fuit usque ad mortem crucis. Sic in hominum genere nulla melior natura est, quam eorum, qui se natos ad homines iuuandos, tutandos, conseruandos arbitrantur.

Narrat Philostratus, Achillem ab Aiace interrogatum, quos labores omnium difficilimos atque aspermos sustinuisse, mox respondisse, susceptos pro amicis. Cum rursus interrogaret Ajax, quos sustinuisse iucundissimos: ille inquit, eosdem significans, nihil esse dulcius ingentibus animis ipsa virtute, cum benè merentur de ciuib. Quod si amicitiam ad fructum nostrum referemus, non ad illius commoda, quem diligimus, non erit ista amicitia, sed mercatura quedam utilitatū suarum. Prata & arua, & pecudum greges diliguntur isto modo, quod fructus ex eis sumuntur. Hominum, præsertim Christianorum charitas & amicitia gratuita esse debet.

Taxat igitur Petrus non solum Epicureorum sapientiam defugienda hominum societate & difficultate gubernationis, sed etiam prohibet in functionibus principaliter quæri πλεονεκτίματα, & captare hominum applausum. Nam studia nostra non tantum ad priuatas utilitates, sed ad totam Remp. ad gloriā Dei, & Ecclesiæ salutem pertinent. Teneamus ergo illud Euripidis præceptū, quod Aristoteles

les proponithis, qui populo concionantur in ciuitatibus: μὴ μοι τὰ κόμψα λέγε, ἀλλὰ ὅτι πόλες δῆται. Ne plausibilia dicas, sed quibus opus habet ciuitas.

Quartus locus,

De ministerio Ecclesiastico.

Sedulitas est diligentia prospiciendi metam, & eligendi media ducentia ad illam metam. Ut enim viatori locus propositus, propter quem tota itineris ratio suscipitur, & via ab eodem eliguntur, quę ipsum deducere possunt sine longis ambagibus ad metam animo constitutam: Ita singuli in sua vocatione, ac præcipue ministri vocati ad munus docendi in Ecclesia, illum optimum finem prospicere debent, videlicet propagationem doctrinę cœlestis, quę & gratam de Deo famam continent, & hominum generi salutaris est.

Hoc fine studiorum & laborum probè stabilito & fixo, deinceps illud querendum est, quibus mediis in portum Deo placentem & Ecclesiæ salutarem peruehi possint. Sunt autem duo media (vt ita dicam) maximè necessaria ministris Euangelij: vnum est medicis cognitio articulorum, qui monumentis Prophetarum & Apostolorum comprehensī sunt. Hos præcipuos & maximè necessarios articulos omnes ministri tanquam præcones & legati Dei sonare debent. Non spargant in Ecclesia fabulas de sanctis, non doceant in-

tem-

tempeſtiuē Philosophiam, vt ante hāc tempo
ra multi impie fecerunt.

Alterum medium est, petitio auxilij diui-
ni, quia ſcriptum eſt: Sine me nihil potestis fa-
cere: & Ierem. 10 dicitur: Scio Domine, quōd
non eſt hominis via eius, neque eſt viri, dirige-
re gressus ſuos, id eſt, in tanta imbecillitate
naturae hominum, & tantis periculis noſtris,
in tanta difficultate rerum gerendarum, in
tantis infidiis diaboli, humanæ vires non
poſſunt ſine Spíritu ſancto regere vocati-
onem & mores. Ideo toties clamat Dauid
Pſal. 118. Da mihi intellectum. Item, Fac cum
ſeruo tuo ſecundum misericordiam tuam, &
iufiſicationes tuas doce me. Et 2 Paralip. 2
dicitur: Cūm ignoramus quid agere debea-
mus, oculi noſtri ad te respiciunt.

Hanc igitur doctrinam exerceamus in no-
ſtris periculis quotidianiſ. Quod cūm facie-
mus, experientia docebit nos, promiſſiones
veras eſſe, ac verè regi nos, & iuuari consolati-
one, ſicut inquit Christus: Quantò magis Pa-
ter vester cœleſtis dabit Spíritum ſanctum pe-
tentibus. Item, Non relinquam vos orpha-
nos.

Finis Epiftolæ, die 2 Iunij, anno Chrifti

1547.

DIE

DIE PENTECOSTES.

Historia Actor. 2.

ET cùm complerentur dies Pentecostes, erant omnes unanimitate in eodem loco. Et factus est repente de cælo sonitus, tanquam impetu venientis flatus vehementis, & repleuit totam domum, ubi erant sedentes. Et visa sunt illis dissectæ linguae velut ignes, sed itque super singulos eorum, ac repletis sunt omnes Spiritu sancto, cœperuntque loqui aliis linguis, prout spiritus dabat eloqui illis. Erant autem Hierosolymis habitantes Iudei, viri religiosi ex omni natione eorum, quæ sub cælo est. Is rumor cùm increbuisse, conuenit multitudo, & confusa est, quod audiaret unusquisque lingua sua illos loquentes. Stupebant autem omnes ac mirabantur, dicentes inter se: Nonne ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt? & quomodo nos audimus eos sua quisque lingua, in qua nati sumus? Parthi, & Medi, & Elamitæ, & habitatores Mesopotamie, Iudeæq; & Cappadociae, Ponti & Asia, Phrygiae & Pamphyliae, Aegypti, & partium Lybiae eius quæ est finitima Cyrena, & aduenae Romani, Iudaique & pro-

& Proselyti, Cretes & Arabes, audimur eos loquentes nostris linguis magnifica Dei.

LOCI PRAECIPVI QVINQUE.

- I. De patefactione Dei.
- II. De gradibus donorum, quæ Spiritus sanctus in Ecclesia efficit.
- III. Discrimen inter Israëlitas, Proselytos, & viros religiosos.
- IV. Consolatio aduersus impia iudicia mundi dendentis Euangelium.
- V. Concio Iohannis de beneficiis noui Testamenti.

De primo Loco.

 Vemadmodum nautæ eò directius nauim gubernant, quòd eam teneant, quæ cursu interiore breui convertitur orbe, vt Aratus ait: Sic mens nostra, quoties precationem inchoat, & querit Deum, non modò cœlum & hoc opificium mundi cogitet, vt se de architecto admoneat, sed simuletiam sibi dicta Euangelij proponat, & intueatur in aliqua testimonia patefactionis diuinæ: vt sunt legis promulgatio in monte Sinai inter horribiles fragores, & manifesta donatio Spiritus sancti effusi primùm in Apostolos, deinde in yniuersam Ecclesiam.

Hæc testimonia docent nos, quid de Lege & de Euangelio existimandum sit. Neque vero id so-

id solum, sed etiam imagines continent, quæ ostendunt, solius Dei potentia mirabili modo Ecclesiam gubernari ac defendi. Sciamus nunc quoque Ecclesiam duci per desertum, & tegi nube & flammis cœlestibus, & adesse dum Christum, ut illis adfuit. Quare confirmemus animos, & certò teneamus hanc sententiam, quod Deus fit seruaturus Ecclesiam, quæ retinet doctrinam traditam à Christo, Prophetis & Apostolis, sicut testatur dulcissima promissio apud Esaiam, ubi inquit Deus: Hoc fœdus meum cum eis, Spiritus meus qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, neque ab ore seminis tui deinceps usque in æternum.

Altera imago, quæ proponitur Act. 2, primum accommodetur ad collectionem Ecclesiæ, quæ fit per ministerium Euangelij omnibus temporibus mundi. Deinde priuatim intelligatur de piis, qui norunt exercitia fidei & inuocationis. Vt enim flamma, quæ à vento impellitur, incredibili celeritate volitat per domos & vrbes, & latè omnia complet, nec facilè extingui atque opprimi potest: Sic doctrina Euangelij ingens incendium exuscitat, cum sit ministerium Spiritus sancti, & turpissimos idolorum cultus, aut omnino, aut magna ex parte absunit.

Etsi autem diaboli omnem regni sui conatum in Ecclesiæ perniciem parant atque meditantur: tamen Ecclesia, quæ circumfert Euangelium in mundo, extirpari & funditus tolli non

li non potest. Nam vox Euangelij est æternum & immutabile decretum æterni Patris, Filij, & Spiritus sancti, de gratuita reconciliacione, & de vita perpetua. Hoc decretum probè stabilitum & fixum manebit, non solum inter ruinas regnorum, sed etiam si fractus illabatur orbis.

Licet concurrant omnes diaboli & tyran尼 ad tollendum atque delendum Euangeliū: tamen lucem Spiritus sancti, de cœlo sparsum non extinguent, non impedient venti hiūs, id est, Euangelij felicem cursum & propagationem. Estenim illa Dauidis in Psalmo 119 Vera & piis non inaudita vox: Omnis rei vidi finem, sed verbū Dei ad omnem æternitatem manet & manebit, etiam si se rumpant aduersarij, qui furii de sua mente & sanitate deturbati sunt. Hæc est piis dulcis & salutaris consolatio, & assiduè cogitanda est.

Deinde verò priuatim in cordibus audientium Euangeliū Spiritus sanctus incendit timorem Dei & fidem. Nam timor significat pauores ortos ex agnitione peccati & iræ Dei aduersus peccatum. At fides significat lucem, quā corda agnoscent misericordiam promissam propter Christum Mediatorem, & huius fiducia iterum eriguntur, vt accedant ad Deum, & statuant se Deo curæ esse, & ab eo diligi propter Filium, quem placatorem pro nobis constituit. Hæc agnitus & fiducia semper coniuncta est cum donatione Spiritus sancti, vt

Galat. 2 clarè dicitur, promissionem Spiritus accipi fide.

Scribunt Eliam infantem, & lambentem vbera matri, conspectum esse nō lac, sed flamas ab vberibus rapere. Quare illa acerrima Spiritus in eo flamma, quæ Reges & Pontifices sine metu corripuit, significata est.

Diuus Ambroſius paulò ante mortem dictauit enarrationē Psalmi 44., cuius initium est: Deus, auribus nostris audiuimus. Acrebunt in hac ipsa lucubratione supra caput Ambrosij flammatam conspectam esse figura clypei, quæ postea delabens fulgorem inusitatum in facie sparserit, & ore hausta sit. Cūm autem eo ipso tempore non solum pertexeret orationem, sed etiam gemens ac lachrymans vota faceret pro Ecclesia, deque futuri calamitatibus vaticinaretur, non dubium est, pectus eius diuino Spiritu incensum fuisse, qui se in cœtu publicè exhibitus est.

De secundo Loco.

Magnum profectò & inenarrabile opus Dei est donum linguarum, quod textus describit, inquiens; Apolitolos varijs ac diuersis linguis locutos esse, quarum elementa nunquam dicerant. Etenim de assiduitate quotidiana, & consuetudine præclarè scriptum est ab Aristotele: Auditum esse sensum disciplinz. Quamobrem fieri non potest, quin pij admiratio-

ratione tanti operis à Deo petant, vt in mentibus nostris fidem & gratitudinem accendat. Idem & ipse toto pectore peto.

Sed multò magis robur fidei inauditum inusitatissimumque est, quod Apostoli senserunt, accepto Spiritu sancto. Quis enim non iure miretur hanc animi magnitudinem in Petro, qui vehementer inuehitur in cœtum Principum & sacerdotum? Etsi enim antea exiguis terriculamentis ancillæ & seruorum perturbatus confessionem de Christo abiecerat, tamē à Deo consecutus Spiritum sanctum, potentiam Phariseorum & Pontificum ratione stabili firmaque contemnit. Quia ex re intelli-
gi potest, verissimum esse illud quod Paulus inquit 2 Corinth, 12: οὐδὲν δύναμις δεῖ εἰπεῖν τελείωται.

His igitur exemplis commonefacti, emendamus securitatem nostram, & deponamus fiduciam nostri, discamus timere Deum, & petere auxilium & gubernationem diuinam. Quod cum faciemus, res atque euentus ostender, veras esse promissiones, quæ pollicentur nobis auxilium opponendum omnibus territoriis ac periculis, quæ vndeque in nos irruunt propter piam confessionem Euangeli.

Ac ne plura, quæ sunt penè innumerabilia, consecter, comprehendam breui. Sic enim statuo, idem hostibus Euangeliū vsu veterum esse, quod de Porsenna rege apud Polybium libro 2 legitur: οὐχ ὅντως τὸ δύναμιν ὃς τὸ ὑπόστριψιν αὐτοῦ τολμάντα πεπληγμένων τῶν ἔγαν-

τιῶν, id est, non tam eis metum incutiebat robur Horatij Coclitis, quam animi celsitudo & stupenda audacia. Exit igitur aliquis cœtus in genere humano, qui Euangelium Filij Dei discet, cantabit, proponet cæteris, & propagabit ad posteros, etiam si subeunda erunt varia certamina & supplicia. Sed duris ut iles tonsa bipennibus: ita & hic cœtus per neces, per damna ab ipso dicit robur animūmque ferro.

Detertio Loco.

Valdè prodest scire, quæ genera hominum tunc fuerint in Ecclesia Dei. Non enim soli Israëlitæ, id est, nati ex semine Abrahæ tunc fuerunt in Ecclesia Dei, sed etiam multi Ethnici. Erant igitur genera tria:

Israëlitæ, id est, nati ex semine Abrahæ. Hos opus erat esse circumcisos, & obseruare ceremonias Mosaicas.

Secundum genus erant ἀερούλυτοι, qui ex gentibus conuersi etiam voluerunt circumcidere, & obseruare ceremonias Mosaicas. Suidas in dictione ἀερούλυτος: οἱ εξ ἑθνῶν ἀερούλυτοι, κατὰ τὸν θεόν πολιτῶμενοι νόμος ἀερούλυτοι εἰσὶν.

Tertium genus fuit haud dubiè magnum, & in Actis Apostolorum vocantur viri religiosi, εὐλαβεῖς, videlicet Ethnici, qui sine circumcisione & obseruatione ceremoniarum didicent promissionem salutis, datam propter venturum semen, quo benedicendæ erant omnes

mnes gentes , & hac fide inuocabant Deum verum, qui se populo Israël patefecerat, & verbum suum eis tradiderat.

Tales fuerunt Naëman Syrus , Nabugdonosor & eius filius: Item Darius, Cyrus, Cornelius in Actis Apostolorum , Æthiops Eunuchus. Et semper multi tales Ethnici fuerunt vera Ecclesiæ membra. Ideoque dispersi sunt inter gentes Israëlitæ , vt multi Ethnici ad agnitionem veri Dei vocarentur.

Est & illud considerandum , Palestinam, quam populus Israël incoluit , sitam esse in medio mundi habitabilis loco , vt quasi puncti instar obtineret, quod νέρτηον Grœci vocant, & cæteris gentibus toto orbe terrarum dispersis doctrinam de vero cultu Dei communicaeret.

Adde hoc Ptolemæi Philadelphi diligentiam , qui cum audiret, Iudæos prædicare suæ gentis antiquitatem & doctrinam , accersiuit inde interpres , qui libros Mosis & aliorum Prophetarum in græcam linguam conuerterent. Hæc vetus translatio Propheticorum librorum in græcum sermonem vocatur septuaginta interpretum opus. Per hanc occasionem credibile est aliquos in Ægypto & alibi tunc veram religionem amplexos esse, cum & libri legerentur, & viri docti è Iudæis, qui versabantur inter gentes, liberè alios docere possent. Nam vox vera Ecclesiæ Dei nunquam temere & frustra recitatatur.

De quarto Loco.

Quod Socrates apud Platonem inquit: Amicos ita confirmandos esse, & muniendos veris sententiis de fine bonorum, de immortalitate, deque aliis rebus magnis, ut eas nulla cauillatione aut subsannatione virulenta nobis excuti sinamus: idem omnibus Christianis, ac praeципue doctoribus Euangelij dictum patemus. Congruit enim haec Socratis oratio cum regula Pauli, quem traditur Galat. 6. Probet unusquisque opus suum, & sic gloriam habebit apud se, & non ex alio.

Opus significat vocationem seu genus vita & professionis, in quo versamur. Hanc sciamus Deo placere, & bona conscientia tantum ea faciamus cum docendo, tum discendo, que vera sunt & necessaria. Quod si hanc regulam sequemur, magno animo contemnere poterimus falsa iudicia Epicurorum & hypocritarum, quia domesticam gloriam nobiscum circumferimus, videlicet testimonium conscientiae recte iudicantis, coiunctam cum approbatione diuina.

Sic Petrus cum exploratè perceptum & cognitum haberet, se mandato Dei circumferre doctrinam veram, necessariam, & salutarem generi humano, non frangitur iudiciis Epicurorum, qui rerum ignari, umbra tantum & imaginibus gaudebant.

Etsi autem nos sapientia & virtute longe inferiores sumus Prophetis & Apostolis: tamen

men cùm reuera idem munus sustineamus in Ecclesia Dei, quod sustinebant illi sumi viri, hanc viam ac gloriam proximam & quasi compendiariam ingrediamur, non pendamus ex hominum iudiciis, quibus nihil est incertius, nihil fallaciū, nihil obscurius, sed eum vitæ ac docendi cursum teneamus, qui primum Dei iudicio, deinde & conscientiæ domestico testimonio comprobetur.

Quòd si qui simulatione, aut inani ostentatione, & ficto non modò sermone, sed etiam vultu stabilem se gloriam consequi posse arbitrantur, vehementer errant. Vera gloria, de qua dixi, id est, approbatio diuina coniuncta cum testimonio conscientiæ rectè iudicantis, radices agitatque etiam propagatur: ficta autem celeriter tanquam flosculi decidunt: nec simulatum potest quicquam esse diuturnum.

Hæc quæ de gloria breuiter dixi, piis doctib⁹ necessaria sunt, ne metu falsorum iudiciorum fugiant professionem veritatis. Vt enim Deus blasphemos in gente Iudaica puniuit, quando exercitus Titi urbem Hierolymam euertit, ac funditus deleuit: ita nō dubitemus, quin Filius Dei ipse in latissimo illo die, quo se iterum ostendet vniuerso generi humano, resuscitatis mortuis, refutaturus sit venenata conuicia, & falsas criminationes, quibus nunc Euangelium oneratur.

*Quintus Locus,**Concio Ioëlis de beneficiis noui Testamenti.**Effundam de spiritu meo super omniem carnem.*

Moueore quidem, ut de bonitate Dei cogitem, quoties ordinem motuum cœlestium, vices temporum, fœcunditatem terræ & animalium, politicam societatem, & constitutionem imperiorum diuinitus factam cōsidero: Sed multò magis moueor, quoties cogito lucem Spiritus sancti sparsam de cœlo primū in Apostolos, deinde in yniuersam Ecclesiam.

Quanta enim bonitas Dei est, quod seipsum sic impertit nobis, & sese in nos effundit, & efficit nos, ut Petrus inquit, participes diuinæ naturæ, dato Spiritu sancto, qui similes motus in nobis accedit, qualis est ipse. Quo pignore magis declarare potuit, Ecclesiā sibi curæ esse, & ardenti amore à sediligi, quām missō Filio, qui assumpta natura humana ex virgine, constitutus est Mediator inter Deum & homines, & factus est pro nobis victimæ, & donato spiritu cœlesti ac diuino, qui à voluntate Patris & Filij procedit, & copulat Ecclesiam Deo, agitans eam motibus congruentibus voluntati Dei.

Hæc omnia significata sunt breui oratione, cùm ait Ioël, vtque verius dicam, Deus ipse: Effundam de Spiritu meo super omnem carnem. Ceterum carnis appellatio satis ostendit,

stendit, de rebus maximis errare Philosophos, Pelagianos & similes, qui libertatem humanæ voluntatis immodecè amplificant, & mentes abducunt à cogitatione, petitione, & expectione auxilij diuini, & à conspectu huius gubernatoris, de quo hic dicitur: Effundam de Spiritu meo.

Quod enim in scena dictum est: Vitam regit fortuna, non sapientia; explodatur ex Ecclesia. Regi vitam sapientia non humana, sed diuina sciamus, & agnoscamus nostram imbecillitatem fragilitatēmque, & perpetuas diaboli insidias, quas in perniciem non modò priuatorum plurimorum, sed & vniuersæ Ecclesiæ parat & meditatur, & verè expauescamus, & simul toto pectore à Deo precemur, ut Spiritu sancto duce omnes actiones, omnia item consilia nostra regantur.

Declarat enim summorum hominum exempla, nullam esse tantam virtutem, quam non de gradu suo deiicere diabolus possit, præsertim si destituta sit excubiis & custodia Filii Dei. Vides ex quanto fastigio Saulem detraxerit, quale bellum Dauidi intulerit, ut ipsum vna raparet in exitium, cùm alios tam multos perdidisset, filium Absolonem, Achitophel, & hauddubiè multos sapientia & virtute antecellentes. Hæc cogitent pij, & sint in statione & excubiis aduersus tām dirum hostem, & à filio Dei petant defensionem & gubernationem Spiritus sancti.

Etsi autem variæ sunt interpretationes hu-

ius dicti: Et Prophetabunt filij vestri & filiæ vestræ: Iuuenes vestri visiones videbunt, & senes vestri somnia somniabunt; tamen simplissima est in eo loco sententia.

Prophetia significat vtrāq; facultatē, συνέσει, πνεύματι, καὶ δύναμις πληρωτική, hoc est, intelligentiam scripturæ spiritualē, & copiam orationis, qua mentis nostræ cogitationes disponere & illustrare possumus.

Quod verò additur de visione & somnio, id ex Moysè sumptum est, Num. 12. Cùm enim Aaron & soror Maria emulazione arderent, ac Moysi gloriam, vtq; verius dicam, molem gubernationis inuidarent, Deus ipse controuersiam dirimit, & Moysen omnibus Prophetis longè anteponit. Ego, inquit, cæteris Prophetis apparebo in visione vel in somnio, sed cum Moysè ore ad os, id est, clare, non obscurè & sine inuolucris loquar, sicut amicus ad amicum loqui solet.

Hac igitur forma verborum Ioël utitur, describens beneficia noui Testamenti. Et quam gradus sunt donorū, quæ Deus singulis largitur, tamen veteres historias repetenti & præsentia exépla cōsiderati facile appetat, semper aliquos fuisse, qui tanquā in specula sedentes futuras Ecclesiæ tempestates prouiderent.

Ambrosius in enarratione Psalmi 44, cuius initium est: Deus, auribus nostris audiuimus; multa sapienter prædicti instinctu afflatuque Spiritus sancti de iis rebus, quæ post mortem Theodosij Ecclesiæ acciderunt.

Sic

Sic fragmenta quædam Methodij Episcopi circumferuntur, quæ ostendunt, fulsisse in eo donum Prophetiæ, hoc est, præensiones & scientiam rerum futurarum.

Quid dicam de Reuerendo viro D. Martino Lutherio, qui ante annos plus minus decem cùm alia vaticinia de rebus Germanicis, tūm de calamitate VVitebergenſi hoc triste vaticinum, quod res atque euentus comprobat, reliquit : Breui post meam mortem adducetur exercitus ad cingendam obsidione Hierosolymam. Sic enim appellare solebat Vvitebergam, è qua hoc postremo tempore quasi quodam sancto augustoque fonte omnis manauit Euangelij cognitio. Quare hortator sum piis omnibus, atque in primis meæ familiæ, ut relictā vrbe aliò se conferant ante hostis aduentum. Nam ciuitas hostilem impetum nullo modo sustinebit, sed ab exercitu capietur, & in potestatem alienam redigetur, niſi Deus immensa bonitate pœnas ingratisudinis mitiget. Quia de re cogitans vota facio, ne Deus totam iram suam accendat, sed potius in ira misericordiæ recordetur, & non finat penitus inter nos extingui noticiam Euangelij, & Filij sui Domini nostri Iesu Christi.

Quorsum hæc? Ut illud intelligas, nō Apostolos solum & eorum auditores, sed semper aliquos pios in Ecclesia dono Prophetiæ ordinatos fuisse.

In fine additur Epiphonema omnium maximè memorabile, quod docet nos de modo,
quo

quo beneficia noui Testamenti consequimur: Omnis qui inuocauerit nomen Domini saluus erit. Ut autem venustas & pulchritudo corporis secerni non potest à valetudine: sic vera inuocatio, de qua loquitur Propheta, cogitatione magis, quām re à fide potest separari. Quod cùm ita sit, perspicuum est, nos fide consequi magnifica & salutaria beneficia, quæ in Euangeliō promittuntur, nec fingendam esse aliam rationem applicandi, vt vulgò loquuntur.

Neque verò silentio prætereunda est partula vniuersalis, quæ in dicto Ioëlis recitatatur. Continet enim gratam & dulcem consolationem opponendam temptationi, quæ ex lege oritur de particularitate. Omnes enim in hanc opinionem duce sua natura vehuntur, vt existimét, ad alios præstantes sapientia & virtute pertinere diuinas promissiones. Sed cōtra hác humanæ mentis ratiocinationem consolatur nos Propheta, constantissimè affluerans: Omnem, qui inuocet nomen Domini, forte socium æternæ beatitudinis.

Finis Epistola.

FERIA

237

FERIA SECUNDA ET TERTIA PENTECOSTES.

Ex capite 10 & 15 Actorum.

De autoritate Synodorum.

LAUDANDA est Lucæ diligentia, qui lucu-
lentam historiam scripsit de iis rebus,
quas Apostoli in prima Ecclesiæ colle-
ctione gesserunt. Etenim multa sunt, quæ bo-
nam mentem non modò delectare, sed etiam
confirmare possunt, si consideret propagatio-
nem Euangelij, & incrementa Ecclesiæ, quæ
multorum Ethnicorum accessione in immen-
sum aucta est, Tyrannis interim cum omni-
bus impiis fame & peste miserabiliter con-
sumptis, ut testatur narratio capituli 12 de He-
rode. Acharum tantarum rerum historiæ non
sunt sine singulari consilio Dei diuinitus tra-
ditæ & conseruatæ, ac utilitas facile à piis ac
prudentibus intelligi potest.

Nam si talis liber concionum Apostolica-
rum non extaret, tyrannici Pontifices, qui
defendunt idola & impia dogmata, prætextu
successionis Apostolicæ, Ecclesiam perpetua
fraude & superstitione obligarent. Affirmant
enim impiè ac tetrè, cum summa temeritate ac
impudentia, se ab Apostolis in illo flore na-
scéti Ecclesiæ accepisse sentétiæ de Academi-
ca dubitatione, de satisfactione Canonica, &
aliis nugis, quæ sunt penè innumerabiles.

Sed

Sed hæc Pontificum arrogantia manifeste refutari potest, citatis testimoniis ex historiæ, quam Lucas memorix posteritatis tradidit.

Nam Petrus Acto. 10 allegat consensum Prophetarum de hac ipsa sententia, quæ est propria & perpetua Euangeli; Omnes homines certò consequi remissionem peccatorum, qui in vera pœnitentia, fiducia Euangeli; & huius Mediatoris se sustentant. Hunc consensum Catholicæ Ecclesiæ Dei, Patrum, Prophetarum & Apostolorum opponamus omnibus, qui in Ecclesia fecerunt docuerunt.

Præclarè ergo Lutherus: Hic liber, inquit, maximè illustrem & perspicuam refutationem continet doctrinæ Pontificum, quannulla maiora pestis Ecclesiæ Christi afferri potuit. Amemus igitur & sèpe legamus dicta huius libri, ut nos confirmem aduersus idolatricas & impias opiniones, quæ & olim à Pontificibus in Ecclesiam inuectæ sunt, & nunc viatæ cæde crudelissimè defenduntur.

Vt etiam Elimas magus subita cæcitatem punitus est, & Diocletianus, postquam diu sautiā in Christianos exercuit, morte sibi consciuit: Ita nunc à Deo petamus, ut hos sycophantas, & autores innumerabilium patricidiorum, pœnis quas meriti sunt opprimat. Deinde cum in hoc libro plurimæ conciones Propheticæ citentur & illustrentur, certò nobis persuadeamus, idque exploratum duca mus, nullam extare Prophetarum enarrationem tam ornatam, tamque vberem, quam in hac ipsa historia.

Pö-

Postremò & illud considerandum est, dignitatem & efficaciam ministerij Euangelici in hoc scripto maximè lucere atq; conspicere. Etenim primo die Pentecostes circiter tria millia hominum ad Christum cōuersa sunt. Qua ex re intelligi potest Pauli asseueratio, qui inquit, Euangelium esse potentiam Dei ad salutem omni credenti. Pellantur ergo è medio furores Enthusiastarum & Anabaptistarum, qui cōtemnunt ministerium verbi, quod Deus in ore docentium posuit, & iudicat esse tantum *κέχυνεαρ καὶ φλιαρολογιαρ*, siue ut ipsi loquuntur, literam mortuam, inanem, atque irridendam. Sed nimis longum esset, huius totius historiæ seriem velle persequi.

Omissa igitur longiore recitatione, pauca quædam de autoritate synodorum dicim, præsertim cum videre liceat aliquos tanta levitate & iactatione, ut recentes synodos pugnant cum doctrina Prophetica & Apostolica, omni contentione defendendas esse censent. Multi vero in dissensionibus Ecclesiasticis neutrales esse volunt, & assensionem ab Euangeliō cohibent, donec iudicio ac testimonio Pontificum & Cardinalium comprehendetur.

Principiò sciendum est, Synodos nec condere, nec posse condere nouos articulos fidei: Quia doctrina de essentia & voluntate Dei, supra & extra conspectum humanæ rationis posita, non potuit nec potest ab ullis angelis aut hominibus comprehendendi; sed à Deo ipso pate-

patefacta, & Ecclesiæ certo verbo & illustri-
bus testimoniiis commendata est, sicut & in
Iohanne dicitur: Filius qui est in sinu Patris,
ipse enarravit nobis. Et 2 Pet. 1. Non humana
voluntate allata est vñquam Prophetia, sed à
Spiritū sancto moti locuti sunt sancti viri. Et 1
Cor. 3. Fundamentum aliud ponи non potest,
præter id quod positum est, quod est Iesu Christi
stus. Et Ephes. 2. Exstructi estis super funda-
mentum Apostolorum & Prophetarum, exi-
stente angulari lapide Iesu Christo.

Non igitur alia doctrina de Dei essentia &
voluntate recipienda est, nisi illa vera, quæ per
Prophetas & Apostolos tradita est. His enim
tradidit verbum suum, quo se patefecit, & ad-
didit illustria testimonia, vt certò sciremus,
quis sit Deus, & ubi quærendus, quomodo ag-
noscendus & inuocandus sit, ne à verbo Dei
humanæ cogitationes aberrarent, sicut Eth-
nici horribiliter & variè aberrârunt.

Cùm igitur articuli fidei non alij sint, nisi
quos certum est à Deo patefaciente per Pro-
phetas & Apostolos traditos esse, quæri potest,
quid agant Synodi? Respondeo. Deus vult
esse iudicia doctrinæ in Ecclesia, & præcipit
doctoribus, vt sint vigilantes, ac veram & cer-
tis testimoniiis propagatam sententiam con-
stanter defendant, & caueant ne corruptelæ
dogmatum in Ecclesiam irrepant, & sparso-
mox refutent & explodant. Id fieri à singulis
& à pluribus necesse est.

Ac prodest multos fideles doctores coniungere sententias. Primum, quia imbecilliores a peritioribus confirmandi sunt, ut dicitur: E tu conuersus confirma fratres tuos. Deinde quia in omnibus eximium studium esse debet aggregandi se ad aliorum piorum cœtum manifesto consensu, ut sit firmior publica concordia, & magis arceantur dissidia, & schismata. Hanc diligentiam aggregandi nos ad cæteros sèpè commendat nobis Christus, ut Matth. 18: Vbicunq; duo aut tres congregati fuerint in nomine meo, ibi in medio eorum sum.

Postremò cùm extant publici consensus monumēta, articuli necessarij faciliùs propagari possunt, & sunt magis uniti. Sunt igitur synodi iudicia Ecclesiæ, in quibus conuenientes doctores non fingunt noua dogmata, sed profitentur sententias prius in scriptis Propheticis & Apostolicis traditas, & ostendunt, quomodo intelligent dicta Prophetica & Apostolica, & testantur hunc intellectum verè ab Apostolis transmissum esse ad posteros.

Sunt igitur iudices in Synodis tantùm testes veteris sententiarum, non sunt autores nouarum. Nec fingendum est, habere synodos potestatem aliquam regiam aut prætoriam interpretationi obscura dicta, sicut de ambiguae dictis in ciuilibus legibus dicitur: Valere regiam interpretationem propter autoritatem regiam.

Quod enim de criticis diebus, quos medici studiosè obseruant, ab Hippocrate traditum est, idem ad politica iudicia transferri potest,

lib. 1, Aphor. 20. Quæ iudicantur & iudicata sunt integrè, nec mouere, neque innouare siue medicamentis, siue aliter irritando, sed sinere oportet. Aliter autem valet synodi interpretatione, videlicet quia collatio dictorum in scriptis Propheticis & Apostolicis conuinicit, eam sententiam, quam amplectitur synodus, verè esse à Deo traditam, & adiuuatur synodus certis testimonijs, quæ per Apostolos tradita esse ex veris monumentis constat.

Hæc de synodis dixi, ut sciamus, Euangeliū non propter humanam autoritatem eorum, qui in synodo congregati sunt, amplectendum esse, sed propter testimonia, quæ constat diuinitus tradita esse Prophetis & Apostolis. Quòd si qui assensionem ob eam causam à doctrina Euangelij cohibent, quòd nondum accesserit Romani Pontificis approbatio, vehementer errant. Nam in Euanglio acquiescendum est propter mandatum Dei æternum & immutabile, præcipientis ut audiamus Filium, siue accedat, siue non accedat synodorum authoritas.

Deinde discriminē teneatur inter veras & falsas sententias synodorum, quod in omnibus causis fieri necesse est. Ac veras quidem sententias, & ab uno & à pluribus traditas, grato pectore amplectamur. Nullum est enim maius bonum, ut Socrates inquit, quām veritatis communicatio. Falsas autem, quæ plenæ sunt impietatis ac sceleris, magno animo repudiemus, etiam si traditæ sint ab ijs, qui ad gubern

gubernacula Ecclesiae sedent. Scriptum est e-
him: Si quis aliud Euangelium docet, Anathæ-
ma sit. Et in primo præcepto dicitur:

Non habebis Deos alienos
coram me.

*Finis Epistolarum ab Aduentu usque ad
festum Trinitatis.*

Iohan. 6.

Pater sanctifica eos in veritate, sermo tu-
us est veritas.

Esa. 8.

Obsigna legem tuam in discipulis meis.


Psal. 68.

Confirma hoc Deus, quod operatus es in
nobis, propter templum tuum san-
ctum, quod est in Ierusalem.

Psalm. 9.

Custodi nos Domine, ut pupillam oculi.

Victorinus Strigelius.



A L T E R A
P A R S H Y P O M N E -
M A T V M I N E P I S T O -
L A S D O M I N I -
C A L E S .

A festo Trinitatis usque ad
Aduentum Christi in car-
ne.

Q :

DOMINICA I.
DOMINICA TRI-
NITATIS.

Epiſtola Rom. II.

O Profunditatem diuitiarum & sapientia & cognitionis Dei, quam inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & imperuſtigabiles via eius. Quis enim cognouit mentem Domini? Aut quis illifuit a consiliis? Aut quis prior dedit illi, & reddetur ei? Quoniam ex illo, & per illum, & in illum omnia. Ipsi gloria in ſecula, Amen.

Locus præcipuus in hoc festo tractandus, de articulo Trinitatis, assumatur ex loco Theologico de Deo.

DOMINICA PRIMA
POST TRINITATIS.

Epiſtola 1 Iohannis 4.

CHarissimi: Deus charitas est. In hoc appetuit charitas Dei, quod Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum. In hoc est charitas, non quod nos dilexerimus Deum, sed quod ipse dilexit nos, & misericordia Filium suum propiciacionem

nem pro peccatis nostris. Charissimi, si sic Deus dilexit nos, & nos debemus nos mutuo diligere. Deum nemo vidit unquam. Si diligimus nos inuicem, Deus in nobis manet, & charitas eius est perfecta in nobis. Ex hoc cognoscimus, quod in eo manemus, & ipse in nobis: quoniam de spiritu suo dedit nobis. Et nos vivimus & testamur, quod Pater misit Filium struatorem mundi. Quisquis confessus fuerit, quod Iesus est Filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo. Et nos cognouimus, & credidimus charitatem, quam habet Deus in nobis. Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. In hoc perfecta est charitas nobiscum, ut fiduciam habeamus in die iudicij, quod sicut ille est, & nos sumus in mundo hoc. Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras ejicit timorem, quoniam timor cruciatum habet. Qui autem timet, non est perfectus in charitate. Nos diligimus eum, quoniam ipse prior dilexit nos. Si quis dixerit, diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum, quem vidit: Deum, quem non vidit, quomodo potest diligere?

Et hoc praeceptum habemus ab eo: ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.

*Concio παραγωγική, de Di-
lectione.*

Præclarè in Epistola quadam Ouidius inquit:

*Acer & ad palma per se cursus honoris,
Si tamen horteris, fortius ibit equus.*

Hoc ille de equis: sed nos dictum putemus de omnibus, qui sanctissimum & augustissimum munus docendi in Ecclesia sustinent. Etsi enim renati habent fidei ac dilectionis initia: tamen cum nulla sit hominis perfecta virtus, sapè nobis suasores & authores sunt Apostoli ad virtutem integrè absolutèque collendam & retinendam. Argumentis quidem ad istam sententiam, quam vult obtinere lohannes, vtitur optimis, quæ in omnibus causis suasoriis & debent & solent valere plurimum.

Et primùm quidem ab exemplo Dei orditur, in quo tāta vis est Dilectionis erga genus humanum, vt nos imaginem ac similitudinem referre sui ipsius in terra uoluerit, & animalibus nos cunctis præfecerit. Quid? quod Deus æternus cumulatissima bonitate ac vere paterna charitate per Christum Filium succurrit mortalibus in ruinam prolabentibus, eosque restituit in antiquam gratiam per penam ac supplicia, quæ ille volens, sciens, libensque perpeccus est. Adde huc donationem Spir-

Spiritus sancti, quem largè in nos effudit, ut evidentissimè ostenderet, Ecclesiam sibi curæ esse & à se diligere. Hæc testimonia cùm legitimus, possumusne dubitare, quin Deus sit caritas, ut Iohannes ait, siue ut nos dicimus, mens æterna, plena paterni amoris, qui longè superat vim iræ iustissimæ aduersus peccata, ut Roman. 5 dicitur; Gratia exuberat supra peccatum. Et Os. 11. Quomodo dabo te Ephraim, quomodo affligam te Israël? Iustè te delerem, sicut Adama & Seboim: sed conuersum est in me cor meum, exarsit commisera-tio mea, nō faciam furorem iræ meæ, non de-lebo Ephraim: Quia Deus ego sum & non homo, in medio tui sanctus.

Secundum argumentum est, quod Dei benevolentiā tenere tuerique non possumus, ni-si & in nostris mentibus luceat Dilectio Dei & proximi. Vult enim Deus mutuum esse a-morem non solum erga se, sed etiam erga reli-quos homines, eos præsertim qui nobis con-iuncti sunt societate eiusdem professionis, & quos ipse ad communem hæreditatem vitæ æternæ vocavit. Etsi igitur aliæ causæ impel-lunt Deum, ut nos miseros & imbecilles im-mensa misericordia complectatur, videlicet meritum & intercessio Filij Dei, ut Ephes. 1 scribitur: Dilexit nos propter dilectum: Ta-men de retinenda ac conseruanda Dei bene-volētia verè ista & grauiter dici possunt: Amor amore emitur: Item, ut ameris amabilis e-sto.

Tertium argumentum dicitur à consequentibus, siue ut magis propriè dicam ab effectibus. Nam dilectio duas res optimas & pulcherrimas efficit, ~~et apparet~~ & magnitudinem animi deipientis hostiū calumnias & furores, quibus aut deformare, aut funditus extirpare Euangelium conantur. Hæc enim verba pertinere mihi ad casum confessionis videntur, quem multi fugiunt metu acerbissimorum suppliciorum, quæ confessoribus veræ doctrinæ proposita sunt. Perfecta, id est, vera non simulata charitas efficit in animis constantiam, toleranter supplicia & acerbissimos cruciatus, qui perferendi sunt propter piam, necessariam & salutarem confessionem.

Cùm enim Hieremias, Baptista, Paulus, & cæteri doctores Euangeli exploratè perceptum & cognitum habeant, se non humana authoritate, sed diuina circumferre doctrinam in mundo, & nulla turpitudine, quam leges puniunt, contaminanti sint, læti adeunt certamina & supplicia, quia norunt se non rapi ad necem propter fanaticos errores doctrinæ, aut morum prauitatem, sed ideo sua corpora Tyrannis obiectant, pulchrāmque pertunt per vulnera mortem, vt testimonium dicant de doctrina, quam professi sunt, & de futuro iudicio, in quo Deus manifesta voce declarabit, hos viros non sive utilitatis aut voluptatis rationē habuisse in tot ac tantis certaminibus de doctrina, sed tota mente atq; omni animo in id incubuisse, vt & gloria Dei per hoc

hoc ministerium ornaretur, & multi ad societatem æternæ beatitudinis vocarentur. Siquidem Ioannes in Apocalypsi Deum loquentem facit: Hi sunt viri, qui pro Testamento Dei corpora sua tradiderunt, & non dilexerunt animas suas usque ad mortem, sed in sanguine agni tauerunt stolas suas. Praclarè ergo Teucer apud Sophoclem:

Σωτήρ τῷ δικαιῷ μέγ' ἐξετίνεποντιν.

Sequitur altera particula, quam simpliciter intelligo de bona conscientia: Charitas expellit timorem. Magna enim vis est conscientiæ in utramque partem, ut neque timeant, qui nihil commiserint, & pœnas semper ante oculos versari putent, qui peccarint. Et noti sunt versiculi de eadem tententia:

*Consciens ut cuique sua est, ita concipit intra
Pectora profacto spemque metumque suo.*

Sed omnium venustissima est Platonis sententia in primo τολμητικόν: Quicunq; multas conscientiæ labes in animo habet, eum necesse est sapientiæ numerò cohorrescere, perinde ut pueri visus omniorū excitantur, & eum mala spe viure. Qui vero optimorum consiliorum & actionum memoria sese sustentat, huic semper adest dulcis spes, quæ est fida nutricula, fouens senectutem, ut præclarè à Pindaro scriptum est. Denique nobis persuasum sit, mentem in grauiissimis deliberationibus potissimum regi & gubernari à bona conscientia.

Hæc dicta omnia congruunt cum Iohannis oratione: Charitas expellit timorē, id est, bona

bona conscientia non solùm futilles causas,
quæ aliis pauorem afferunt, cōtemnit ut velli-
cationes & cōuitia, sed ne tunc quidem fran-
gitur ac debilitatur metu, cūm videt molem
periculorum & ærumnarum impendere. Te-
stes sunt permulti, sed breuitatis causa histo-
ria contenti simus vna. Martinus enim Lu-
therus, *σοφὸς καὶ δεῖχτὴ ἀνὴρ*, cūm non modò vi-
tam suam, sed & professionē omni pietate, san-
ctitate, castitate & iustitia regeret ac mode-
raretur, magno animo cōtempsit conuitia &
vellicationes Sycophantarū. Neq; verò id so-
lūm, sed etiam regibus & præcipuis gubernati-
oribus metum sua constantia attulit. Nam
cūm Cardinalis in conuentu Principum ei mi-
naretur exilium, grauiter ille ad hunc mo-
dum respondit: Si terra nos non capiet, cœlum
capiet. Sed nimis longum esset, huius viri in-
tegram historiā velle persequi. Omissa igitur
longiore enumeratione exemplorum, quæ in
rebus à D. Martino gestis plurima sunt, ad al-
teram Epistolam accedo.

DOMINICA SECUNDA POST TRINITATIS.

Epistola Iohann. 3.

NEmiremini fratres mei si odit vos mun-
dus. Nō scimus, quod translati sumus
de morte ad vitam, quia diligimus fra-
tres.

tres. Qui non diligit fratrem, manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis, quod omnis homicida non habet vitam aeternam in se manentem. Per hoc cognouimus charitatem, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui vero habuerit substantiam mundi, & viderit fratrem suum egentem, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Filii mei, ne diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate.

Hec concilio ὁμολητῷ καὶ ὁμόστοντῷ est superiori. Etenim tanta severitate Dilectionem requirit, ut sine ea negat Ecclesiam viuere posse. Sed quoniam multi ex hoc loco falsam conclusionem efficere conantur de iustitia operum, breuiter exponam, quæ sit nativa sententia Iohannis. Non ait, Dilectionem esse causam, à qua ex morte erepti sumus; sed affirmat, dilectionem proximi esse signum, quo commonefacti animaduertere ac notare possimus utrum vitam receperimus, an adhuc morte oppressi iaceamus.

Ne autem obscuritas sit in hac responsione, utar similitudine, quæ maximè ad institutum accommodata videtur. Quanquam spiratio non est causa vitae in animalibus, sed anima est illa

illa cōdēlēx̄ta, quæ continuatam & perennem motionem corporibus animantium p̄t̄bet: Tamen adeò necessaria est, vt nisi animal spiraret, viuere nullo modo possit, imò etiam signum est, quo animal viuum à cadavere discernitur. Sic dilectio non quidem causa est eripiens nos ex morte. (nam hoc beneficium Christo liberatori tribuendum est), sed tamē signum est, quo cūm nos ipsi, tūm alij admoniti, exploratū h̄abemus, nos ab interitu vindicatos esse. Etenim vitam, quam Christi concessu & beneficio recepimus, tenere tuerique non possumus, nisi scintilla quādam dilectionis in nobis ardeat.

Ex his, quæ dixi, multisque aliis perspicuum est, Iohannem nō repugnare Paulo, sed vnam & eandem esse doctrinam Prophetarum & Apostolorum. Nam vt olim duo Cherubini stabant in arca fœderis iungentes alas, & sese contuentes: Sic Prophetæ & Apostoli vna voce eodemque spiritu celebrant beneficia Mediatoris, & doctrinam consentientem de maximis articulis tradunt.

Sicut Christus posuit animam suam pro nobis: ita debemus & nos pro fratribus, &c.

Hanc regulam de officio necessariæ defensionis meminerimus, quæ non modò gubernatoribus, sed priuatis hominibus concionatur. Ac notum est illud Alfonsi: Pro lege & pro grege, significans Principem omnia pericula

Pericula adire debere & religionis ornandæ causa & pro populi defensione. Sciant etiam priuati homines, se obligatos esse mandato Dei ad defensionem piarum Ecclesiarum & scholarum, ne abiificantur disiecti infantes, aut senes trucidentur, aut puellæ & mulieres prius contumelia affectæ iugulentur. Cùm autem incurrat in venatoris spiculum lea pro tueri dis catulis, & gallina pro suis pullis acerrimè dimicet, pudeat nos nostræ ignauiaæ, quod mortem pro patria, pro Ecclesia, pro libertate non audemus oppetere. Sed verissimum est illud quod à sapientibus accepimus, duabus animæ partibus oppressis atque extinctis, tertiam mollem atque effeminatam, videlicet θηβα μητρικὴν nunc potissimum dominari.

Diligamus opere & veritate.

Nihil in vita visitatus est, quam aliud sentire & aliud loqui, ut Andromacha apud Euripidem exclamat: O dignissimi odio Spartani & exacerandi ab omnibus hominibus, aliud loquentes & aliud sentientes, &c. Et Psal. inquit: Pacem loquuntur cum proximo, mala autem in cordibus eorum. Hanc simulatam dilectionem sapè & grauiter taxat Scriptura, & nos hortatur ut veris officiis declaremus sensum fraterni amoris. Sic Paulus ad φιλήμονα laudat suum hospitem Onesimum, inquiens: Sanctorum plurimorum viscera ab eodem refecta & recreata esse.

DOMI-

DOMINICA TERTIA POST TRINITATIS.

Epistola i Pet. 5.

Charissimi: Humiliamini igitur sub potentia manu Dei, ut vos extollat cum erit oportunum, omni cura vestra coniectant illum. Nam illi cura est de vobis. Sobrij estote, vigilate, quoniam aduersarius vester Diabolus tanquam leo rugiens obambulat, querens quem deuoret. Cui resistite solidi fide, scientes easdem afflictiones fraternitati vestrae, quae in mundo est, consummari. Sed Deus omnis gratiae, qui vocavit nos ad aeternam suam gloriam per Christum Iesum, parum per afflictos, idem instauret vos, fulciat, roboret, stabilitat. Ipsius gloria, imperium in secula seculorum, Amen.

LOCI PRAECEPVI.

I. De patientia in afflictione.

II. De prouidentia.

III. Reprehensio securitatis, & de victoria aduersus Sathanam.

IV. Consolatio in orammis.

De

De primo Loco.

VSitatum est in omnibus artibus locos vriles & maximè necessarios sæpenumerò proponi, repeti & inculcari. Quoties enim Hippocrates hanc sententiam de purgatione repetit? Si talis humor purgetur, qualem purgare cōuenit, salutare est, & corpora facilimè ferunt. Sin autem contrarium accidit, difficulter ferunt. Sic multoties à Dialecticis quinque prædictabilia seu gradus vocum repetuntur. Etsi igitur aliás sæpè dictum est de discrimine patientiæ Philosophicæ & Christianæ tamen cùm nulla virtus hoc quidem tempore magis necessaria sit Ecclesiæ Dei , quām tolerantia afflictionum, quæ magno impetu in eam irruunt, breuiter de hoc discrimine repeatant studiosi doctrinam visitatam, ut seipso & alios ad hanc virtutem pulcherrimam colendam & retinendam exuscident.

Expende autem, quām sint insignia & illustria verba in dicto Petri : Humiliamini , inquit: sub potenti manu Dei. Socrates cùm in manu mortiferum illud teneret poculum, moderabatur quidem dolorem ratione Philosophica, sed nec Deum intuebatur, nec liberationem in vita æterna expectabat. Sed latro in cruce præstat Deo obedientiam, & certò statuit se cooptatum esse in collegium æternæ beatitudinis, iuxta promissionem: Hodiè mecum eris in paradyso.

R

Sed curvocat manum Dei potentem? Ut intelligas Dei potentiam in vtrâque re potissimum cōspici, videlicet in afflictione & liberatione non modò piorum plurimorum, sed & vniuersæ Ecclesiæ.

Ante annos 2121, die 3 Iulij capta est vrbs Hierosolyma à Rege Babylonico. Etsi autē populus Dei horribili exemplo punitus est propter idolatriā & alia peccata, quibus se contumauerat: tamen hæc tanta mala Deus convertit in bonum. Nam in Babylone maior fuit gloria huius populi quàm vnquam florente regno in terra Canaan. Postea reduxit hanc gentem ex Babylone, & seruauit eam usque ad Apostolos annos ferè 500. Quod exemplum commemorari illustrius potest æruminarum & liberationum Ecclesiæ?

Age verò, ne semper de vniuersa Ecclesia dicamus, quis ignorat historiam Ioseph, Dauidis, Nabuchodonosor, quorum calamitates partim τιμωρίαι, partim δοκιμασίαι fuerunt. Sed res atque euentus in fine securus comprebauit vocem Annae 1 Reg. 2: Dominus mortificat & viuificat, deiicit de gradu, & iterum in sede collocat, denique ad inferos deducit & reducit. Hæc exempla animo colligentes, quæ Deus in literas referri voluit, vt eorum memoria semper extaret, possumusne dubitare, quin Deus Ecclesiam hoc postremo tempore non leuiter quassatam, & pios Principes, qui sunt socij calamitatum Ecclesiæ mirabiliter do seruatrus sit? Amen Amen.

Secun-

*Secundus locus,**De prouidentia.*

Prouidentia est gubernatio Dei, qua naturam vniuersam & creaturas singulas seruat, id est, ordiné motuum, vices temporum, fœcunditatem terræ & animantium, & curat & seruat genus humanum, custodit politicam societatem, imperia, iudicia, iustitiam, punit atrocias scelerum pugnantia cum lege naturæ, in qua voluntatem suam ostendit, & tandem iniuste oppressos liberat. Hæc doctrina, quæ affirmat Deum non esse oiosum, sed paterna ~~so~~^{et} genus humanum fouere, punire atrocias scelerum, & liberare inuocates, traditur in dicto Psal. 54: Iacta in Dominum curam tuam, & ipse te enutriet, nec sinet iustum versari in ætumnis perpetuis. Sic Deus ad Abraham inquit: Noli timere, ego ero protector tuus, & merces tua magna valdè. Et in primo præcepto dicitur: Ego sum Dominus Deus tuus, id est, conditor omnium rerum & conseruator & opitulator: In me solo Ecclesia omnem spem reponet sui, à me petet & expectabit præsentia & æterna bona. Etsi enim Principes ac præcipue gubernatores immani ~~so~~^{et} Ecclesiam deserunt, cuius nutricij esse debebant: tamen ut Dei concessu & beneficio pulchri coruorum à paréribus deserti pascuntur, sic Ecclesia & quidem mirabili modo seruatur ac defenditur.

De tertio Loco.

Apud Homerum duo extant versiculi, qui officium boni militis describunt, & diligenter prospiciendi pericula, quæ ab hostibus impendent, omnium maximè flagitant:

*Non decet integrum noctem dormire, regentem
Imperio populos, & agentem pectore curas.*

Hanc imaginem Christiani considerent, & sciant se κακῶς σπατέας militare, non solum quia Deo placet & aliis salutaris est, sed etiam quia ardua est & sine multis virtutibus, cuiusmodi sunt fides, inuocatio, sobrietas, vigilancia, sustineri non potest. Neque enim Diabolo quidquā deliberatus est, quam nos, quaunque ratione possit, non iudicio neq; disceptatione, sed vi atq; impressione euertere. Omnis igitur contentionē pugnandum est, ne Diaboli inuadant urbem vino somnoque sepultam, vt Vergilij verbis vtar.

Nam plurima exempla summorum virorum proposita sunt, qui securitate lapsi sunt, & penas sibi & posteris accersuerunt, vt Adam, Eua, Dauid, Salomon. Ac circumit Diabolus intentus in omnes occasiones, vt incautos impletet lapsibus inextricabilibus. Texit enim longam telam: videt ex uno lapsu multa mala securura esse, vt ex lapsu Adæ, Dauidis Salomonis quanta moles peccatorum & calamitatum secuta est? Hæc exempla animo colligentes, & considerantes ingentem imbecillitatem humanæ naturæ, simus vigilantiores aduer-

aduersus illecebras & Diaboli infidias.

Rogas me, quibus armis vtendum sit ad Diaboli ferocitatem ita reprimendam, vt facile victoriam nobis tradat? Authore vtar Apostolo, qui yno versu totum locum conficit: Huic, inquit, resistite fortes in fide. Nulla n. re magis armati parati que esse possumus contra furorem & rabiē grassantis Diaboli, quam fide, id est, agnitione Mediatoris, & petitione auxilij diuini. Hæ tantæ res optimè pulcherri- mèque pictæ sunt, & quasi ante oculos expositiæ in naturali dissidio, quod est inter leonem & gallum. Etsi enim leo cunctis animanti- bus terribilis est, tamen hic tantus bellator cantu galli gallinacei non terretur solum, sed etiam in fugam vertitur. Ita res atque euentus ostendit, cantum verę Ecclesię, id est, piam in- uocationem perentem & expectantem à Deo auxilium & defensionem aduersus Diabo- lum, non esse sonitum inanem atque irriden- dum. Hoc enim cantu frangitur & commi- nuitur potentia Diaboli, ne possit nocere quantum vult & conatur.

Quartus locus,

Consolatio in ærumnis.

Venuſtissimè apud Platonem Axiochus inquit : Tu quidem ex futili doctrina, quæ nunc in honore est, hæc callidè deſrompta di- xisti. Inde enim omnis garrulitas quasi quo-

dam fonte manat. Hæc verò etsi ad pueros de-
mulcendos valet, tamen me quidem non satis
confirmat, vt statuam in morte nihil esse mali.
Illud enim angit vel potius excruciat, disces-
sus ab omnibus his quæ sunt bona in vita.
Quorū hæc? Ut intelligas infinitum discri-
men esse inter Philosophicas consolationes, &
eas quas Euangelii doctrina ærumnōsis adhi-
bet. Nam Axiochus auditor & discipulus So-
cratis dicit ex animo quod res est, se in Magi-
stri consolatione nullo modo acquiescere pos-
se, & disertè eam vocat stultitiam loquacem.

Hæc genua & aperta cōfessio declarat Pau-
li dictum Rom. 8: φρόνημα ταρχός ἐστὶ θάρατος, id
est, non liberat à peccato & à morte, sed est
consolatio fugax & euaneſcens, non susten-
tans corda in veris pauoribus aut certamini-
bus: contrà verò sensus spiritus, id est, iudiciū
spirituale de causis afflictionū, & fides acquie-
ſens in consolatione efficit in animis pacem,
lætitiam & vitam. Quid enim dulcius dici
potest, quām quod Paulus ait: Fidelis est Deus,
qui non finit nos tentari supra vires, sed dat
cum tentatione robur, vt possimus sustinere.
Et apud Prophetam Deus ipse inquit: Ego
habito cum cōtrito & humili spiritum, vt vi-
uificem cor contritū, & erigam spiritū humili-
lem. O dulcem cōsolationem infigendam in-
timis pectorib, quæ affirmat, Deum adesse æ-
rumnōsis, qui sunt membra Ecclesiæ, cīsq[uo]cō-
pem & salutem ferre,

Acce-

Accedit illa quoque consolatio, quæ ducitur à spe latissimi exitus. Scimus enim Ecclesiam non ad hanc breuem & fugacem vitam conditam esse, sed ad æternitatem, ubi fruetur Dei conspectu, quem præcipue bona mens appetit. Has consolationes de auxilio Dei, & de spe illius latissimi diei, in quo bonis dabuntur præmia, impij afficiuntur iustis poenis, breui oratiuncula Petrus complectitur, cum ait: Deus autem omnis gratia, qui vocavit nos ad æternam gloriam suam per Iesum Christum, confirmabit nos in ærumnis, quæ exiguo tempore durant, & robur piis omnibus largietur, ut afflictiones perferre ac sustinere possint.

DOMINICA QVARTA POST TRINITATIS,

Epiſtola Rom. 8.

Nam reputo, non esse pares afflictiones presentis temporis ad gloriam, quæ reuelabitur erga nos. Etenim sollicita creatura expectatio, expectat ut palam fiant filij Dei. Quippe vanitatis creatura subiaceat, non voluntis, sed propter eum, qui subiecit illam sub spe. Quoniam & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriae filiorum Dei. Scimus enim, quod omnis creatura ingemiscit, similque nobiscum parturit usque ad hoc tempus. Non solum autem

illa, sed & ipsi, qui primitias spiritus habemus, & nos ipsi in nobis ipsis gemimus, adoptionem expectantes, redemptionem corporis nostri.

Primus Locus.

Consolatio amplissima.

Constat inter omnes non Philosophos solum, sed etiam indoctos, fint ad infinitum nullam esse proportionem, siue, ut graci, dicunt *ἀναλογίαν*. Quidquid enim finitum est, breve & exiguum ducendum est praeterno. Quare ut Mathematici persuadent, terram in medio sitam ad vniuersi coeli complexum quasi puncti instar obtinere, quod illi *κέντρον* vocant: Ita nobis persuasum sit, idque exploratum omnino ducamus, hanc breuem & fugacem hominum vitam, cum illa aeternitate, quam nulla circumscriptio temporis metitur, nullo modo comparandam esse. Etsi igitur videmus differi utrumque, poenas impiorum & premia verae Ecclesiae, tamen membra filij Dei, quae capiti coniuncta sunt societate æruminarum, tota mente atque omni animo intueantur in illam aeternitatem, in qua Deus absterget omnem lachrymam ab oculis resuscitatæ Ecclesiae, eamque ornabit non quidem peritulis praemiiis, sed aeternis, quae sunt tanta, ut nechumana

manū cogitatione comprehendī, nec verbis enarrari possint. Cūm autem Paulus ipse fāteatur, se harum rēū magnitudine superari, nos quoque contenti simus hac breui commonefactione, quā nobis spēm facit lētissimi exitus, ut in versu dicitur; Perfer & obdura, labo hic tibi proderit olim

Secundus locus.

Sequitur, ut de altero loco dicendum sit, in quo insignia & illustria verba à Paulo usurpatūr. Nam ἀποκαρδονία significat illud ingens & inenarrabile desiderium, quod grauidas retinet ædendi fœtum & pulchrum & peruenustū. Hanc imaginem Paulus eruditè accommodat ad vniuersam creaturam, eāmque sociam facit nostræ ægritudinis. Quod quidem ut clariū intelligi possit, nos adhibitis, imò conquisitis exemplis grauioribus, nec iis quidem ita multis, quā ad hunc locum pertinebunt, reliqua vestris iudiciis permittemus.

Res nulla est admiratione magis digna, quām altitudini Solis in imargine Eccentrici ferè quartam partem decessisse. Dubitari enim potest, vtrum propter senectam mundi quasi delabatur, & factus sit languidior, paullatim ruente natura rerum: an verò in hac senecta terræ tanquam effectæ opus sit viciniore positu Solis ipsam fouentis. Nam hoc tempore Sol tam Solstitialis quām Brumalis propior est terris, quām fuit Ptolomæi tempore, milia-

ribus Germanicis 9976, id est, ferè sexies Sol
terræ propiore est, quām quanta est totius terræ
profunditas. Nec miremur hanc nostram in-
feriorem naturam & terram tantas habere
mutationes, cūm etiam in illa superiore, firma
& durabili natura quasi rectrice fiat tām eui-
dens mutatio.

Plinij Secundi ex 17 naturalis historiæ libro
de Africæ fertilitate verba sunt: In Byzantio
Africæ illum centena & quinquagena fruge
fertilem campum, nullis cūm siccus est arabi-
lem tauris, post imbræ vili asello, & à parte al-
tera iugi anu vomerem trahente vidimus sein-
di. Quod exemplum commemorari illustri-
us potest miræ fertilitatis, quām quod ait 150
modios pro vno modio reddi? Sed longè di-
stant ab hac fertilitate non solum cæteræ regi-
ones, in quibus vix decuplum hoc tempore
redditur, sed & Africa vniuersa.

Quid dicam de arboribus, quæ nunc qui-
dem truncatæ non renascuntur: qua ex re in-
telligi potest, secuturam esse lignorum inopi-
am, nisi dies ille terribilis aliis, nobis opratus
hanc calamitatem benignè anteuerat.

Adde huc venas metallicas, quæ in hac po-
strema ætate senescentis mundi non sunt ita
locupletes, vt olim fuerunt. Nam vt omittam
cæteras, quis ignorat Hannibalē 120000 coro-
natorum ex venis Hispánicis quotannis ha-
buuisse? Sed nunc res ipsa ostendit, quantum de
illa copia & vbertate venarum deceperit. Hæc
igitur & alia innumerabilia, cūm oculis non
dico

dico Philosophicis, sed verè Christianis aspici-
mus, possumusne dubitare, quin vniuersa cre-
atura socia sit nostræ & gratitudinis, & sensu cala-
mitatum Ecclesiæ afficiatur?

Omissa igitur lôgiore enumeratione exem-
plorū, quæ in tota natura animaduerti facile
ac notari possunt, ad tertium locum accedo, qui
proponit exemplum Apostolorum, quod i-
psum continet consolationem insignem.

De tertio Loco.

Ait Apostolos voluntate Dei ita regi, ut
præ reliqua Ecclesia subiecti sint cruci, sint spe
etacula Angelis & hominibus, immo ducantur
esse καθάρια τὴν περιήματα. Sciamus ergo
voluntatem Dei esse, ut vniuersa Ecclesia sit
subiecta cruci, quæ audit & amplectitur do-
ctrinam à Christo & Apostolis traditam. Imi-
temur & in uocatione, quam illi in cruce exer-
cuerunt tolerantiam, spem & alias virtutes.

De quarto Loco.

Quarto prudenter intertexitur huic conso-
lationi suauissimæ & dulcissimæ definitio
spei. Nam spes est expectatio futuræ liberatio-
nis. Sed hic obseruetur discrimen spei verae &
carnalis. Ac prior quidem luculentè descri-
bitur in Psal. 31. In te Domine speraui, non con-
fundar in æternum, id est, mea spes nititur non
humanis præsidiis, non mea iustitia, non
meis

meis viribus, sed tua misericordia. Est enim certa spei causa Mediator nobis donatus, qui est premium vitæ æternæ. Hæc spes non confundit, id est, non est irrita, non frustratur expectantes, sed reuera tandem liberationem obtinet.

Altera spes venustissimè pingitur in dicto Pindati: Vanissimum genus somnij est, quod domestica contemnens, circumspectat peregrina, quæ inania sunt, & venatur ea spe inani.

Testes sunt permulti de hac ipsa sententia, sed breuitatis causa historia contenti erimus vna. Etsi populus Aheniensis hostilem exercitum Lacedæmoniorum penè in conspectu habebat, tamen ei Alcibiades facetis fabricis & doctis dolis Glaucomam oculos obiecit, et umque ita de sua mente & sanitate deturbavit, ut non dubitaret magnam classem aduersus Siculos instruere. Ita enim censebat, itaque differuit Alcibiades, primo impetu capi & obtineri posse Siciliam, qua quidem occupata, deinceps in Africam traiiciendum esse, & domito Carthaginem regno, quod tunc florentissimum erat, facilem fore discursionem per omnes gentes toto orbe terrarum, & has sine exceptione venturas esse in potestatem populi Atheniensis. Sed has magnificas, utque verius dicam stultas spes cogitationum & consiliorum multi tristissimi casus fecellerunt.

Nam tertia pars exercitus intra paucos menses peste & aliis calamitatibus absumptra est.

est. Cùm autem reliqua essent hominum milia penè 40, quæ duce Nicia in patriam reuerti statuerant, hi à Siculis circumuenti, miserabiliter trucidati sunt, & qui post cladem superstites fuerunt, in *λιθοτρομίας* coniecti, ita vexati ac perditæ sunt, ut vix nuncij tantæ cladis Athenas redierint. O fallacem hominum spem fragilémque fortunam, & inanæ nostræ contentiones, quæ in medio spacio sæpè franguntur & corruunt, & antè ipso in cursu obruuntur, quām portum conspicere potuerunt.

De quinto Loco.

Quinta pars consolationis monstrat auxilium opponendum nostræ imbecillitati. Cùm enim maior moles ærumnarum Ecclesiæ imposita sit, quām cæteris gentibus, quærunt bona mentes, quomodo in tanta infirmitate eas perferre ac sustinere possint. Hic respondet Paulus, Spiritum sanctum opem & salutem ferre æumnosis, & regere mentes contilio, ne in petitione rerum præsentium atque æternarum aberrent.

Potest autem hoc loco quæri, an Spiritus sanctus dolore & mœstia afficiatur? Simplex & vera responsio est, cùm de Spiritu sancto hæ & similes formæ verborum usurpantur; Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inef fabilibus, intelligitur Spiritus sanctus quatenus habitat in cordibus piorum, & in his, cùm est gaudiū aut mœstitia spiritualis, simul læ-

tari aut dolere dicitur Spiritus sanctus. Sed exempla dictum Pauli demonstrant.

Moses stans ad mare rubrum, neque ullum exitum humano consilio prospiciens, gemitu ineffabili à Deo petit liberationem. Tales gemitus & vota piorum in periculis, quæ humano consilio prorsus sunt inextricabilia, regit & adiuuat Spiritus sanctus, ne vel in petendo errent, vel magnitudine pauorum vincantur.

De sexto Loco.

Sextus & postremus locus consolationis duo argumenta complectitur. Prius ab exitu sumptum est, & congruit cum vulgari dicto; Exitus acta probat.

Quod autem textus dicit, diligentibus Deum omnia ad exitum salutarem perduci, simile est historiæ Ioseph, qui inquit: *Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me, & saluos facheret multos populos.* Diabolus conatur perdere Ioseph, sed Deus seruat eum, & hæc ipsa calamitas fit Deo gubernante modus ad salutarem exitum.

Alterum argumentum ducitur ab exemplo Filij Dei. Ut enim Claudianus inquit: *Regis ad exemplum totus componitur orbis: sic totam Ecclesiam directam esse oportet ad normam filij Dei.* Quæ est igitur eius oratio, quæ facit eum Lucas usum post resurrectionem? Sanè oportuit Christum hæc pati, atque ita intrare

trare in gloriam suam. Quare nō dubium est, omnes electos ad exemplum Christi bibere de torrente, id est, gustare communes ærum-
nas tantisper dūm sunt in via, id est, in cursu
Vocationis, & à Filio Dei mirabili modo ser-
uari ac defendi. Cūm autem in ærumnis diffi-
cultur conquiescant nostræ mentes, oro æter-
num Patrem Domini nostri Iesu Christi, vt
has consolationes, quas Paulus lenissimis &
amantissimis verbis exposuit, in nobis obsi-
gnatas feruet, ne aut verba ipsa amittamus, aut
natiuam verborum sententiam, Amen.

DOMINICA QVINTA POST TRINITATIS.

Epistola i Pet. 3.

CHarissimi: In summa, omnes sitis una-
nimes, similiter affecti, fraterna prædi-
tio charitate, misericordes, affabiles, non re-
taliantes malum malo, aut conuicium conui-
cio: sed contrà benedictentes, scientes vos in
hoc vocatos esse, ut benedictionem hæredita-
te possideatis. Nam qui vult vitam diligere,
& videre dies bonos: coherceat linguam su-
am à malo, & labia sua ne loquantur dolum.
Declinet à malo, & faciat bonum: quarat pa-
cem, & persequatur eam: quoniam oculi Do-
mini super iustos, & aures eius ad deprecatio-

mem

nem illorum. Rursum aspectus Domini super eos qui faciunt mala. Et quis est, qui sit afflicturus vos, si bonitatis emulatores fueritis? Imo si quid etiam acciderit incommodi propter iustitiam, beatitamen estis. Caterum terrore illorum ne terreamini, neque turbemini: sed Dominum Deum sanctificate in coribus vestris.

LOCI QVI INQVE.

- I. Catalogus aliquot virtutum.
- II. Parænæsis ex Psalmo 34.
- III. De tolerantia crucis.
- IV. Necessariam esse confessionem.
- V. De bona conscientia.

Primus Locus.

ἓμόφρονες.

DAudatur illud quod Dion scribens Dionysio p̄pinquo suo, vel fortassis author Epistolæ illius Plato, citat, ὃν χρυσός αὐλαὸς, ὃν δ' ἀδάμας ἀσπάστη τοὺς ὄφεις, ὡς ἀγαθῶν ἀνδρῶν ὁμοφρέδων νόοις, id est, non aurum fulgens, non adamas magis sensus nostros impellit voluptate, & specie prima acrius commouet, quam bonorum virorum suavis concordia & consensio. Verè hoc quidem & dulcissimè dictum est, verè & illud

illud Basilius: Non tam sinistræ opus est dextra, quam Ecclesiæ concordia doctorum. Sed scimus multas diuinæ sententias similes, quibus utinam mouerentur omnes ubique, qui veræ doctrinæ studium profitentur. Quare & Deum oremus, ut animos omnium doctorum & aeternis vinculis veræ sententiæ & Spiritus sui copulet, & nos ipsi consilia συμβιβασινὰ amemus, & actiones nostras ad communem tranquillitatem referamus.

συμπαθεῖς.

Apud Euripidem in Tragœdia, quæ inscribitur in étides, memorabilis sententia extat: οὐκ ἀληφὸν ἀνθρώποις εἰ τὸ ἀληφῶν κακό; Nō turpes videantur hominibus calamitatum sociates. Huius honestissimi versiculi exemplum maximè in Christo conspectum est. Is non duxit sibi turpe esse transferre in sese pœnas nostrorum scelerum, & affici cura nostrarum miseriārum. Sic nos singuli Ecclesiæ, Reipubl. parentum, liberorum, amicorum calamitatibus mouemur, & non tantum nobis, sed etiam aliis opem ferri petamus.

Φιλάδελφοι.

Vt cæteræ τοφγαὶ imagines sunt maximum rerum, sic fraternalia benevolentia haud dubiè pingit, quanta vis sit amoris in Christo erga omnes homines, quos verè ut fratres diligit. Cùm enim factus sit os ex ossibus nostris, & caro de carne nostra, ut Paulus loquitur, quid mirum est, si totum genus huma-

num amore fraterno complectatur? Quare & in nobis existat fraterna, plena humanitatis ac pietatis voluntas, ut noster nos sensus, quanta vis sit fraternali amoris in Christo, admoneat.

Ἐνωπλαγχύοις.

Inter alias conciones Prophetæ Osee omnium maximè memorabiles, & hæc est in ca. ii. Quomodo dabo te Ephraim, quomodo affligam te Israel? Iustè te delerem, sicut Adam & Seboim, sed cor meum mutatum est in me, & viscera mea, quæ Græcis *πλάγχυε* sunt, exarserunt: nō faciam furorem iræ meæ, non delebo Ephraim. Hanc dulcissimam & suauissimam concionem sæpe cogitemus partim propter consolationem, qua hoc tempore Ecclesiæ opus est, metuenti yniuersalem interitum doctrinæ cœlestis & literarum, partim propter exemplum. Cum enim nemo sit, qui vehementer cupiat atque exoptet sibi ignosci, & suam calamitatem præsertim iniustum amicorum bonitate leuari, simus eodem modo affecti erga alios, nec Troianā petulantiam imitemur, quæ certabat illudere capto, ut poëtæ verbis utar. Et quidem Christus ipse nos deducit ad exemplum diuinæ misericordiæ, cum ait: Estote misericordes, sicut & Pater vester cœlestis misericors est.

Φιλόθεοντες.

Restat quinta virtus, quæ decoro, & moderatione, & modestia continetur. Sæpissimè igitur mihi de hac virtute cogitanti, venit in mentem

mentem illud, quod apud Euripidem Orestes inquit, taxans loquacem stultitiam Tantalii, ἀκόλαστον ἔχε γλώσσαν, οὐχὶ σὺ νόσον, Petulantiam habuit linguae, qui morbus est omnium turpissimus. Quid enim est turpius, quid tam porrò alienum sapientis grauitate & constantia, quam non posse regere atque in officio continere linguam, quæ dentibus in ore construetis quasi quodam septo munita est? In primis autem fugiamus conuitia, vellicationes, verborum obscenitatem, qua nihil nec tetrius, nec fœdius excogitari potest. Cum autem de his virtutibus, quas recensui, loci scripturarū noti sint, libet mihi in fine adiicere memorabile dictum Senecæ, qui in postremo libro de Ira sic ait: Dùm inter homines sumus, humilitatem colamus, non timori cuiquam, non periculo sumus. Detrimenta, iniurias, cōuitia, vellicationes contemnamus, & magno animo brevia feramus incommoda: Quia dùm respicimūs, quod aiunt, versamūsque nos, immortalitas aderit.

De secundo Loco.

Парадигма ex Psalmo 34.

Psal. 34 non solum præcepta & promissiones uberrimas continet, sed etiam applicationem, quæ docet nos intueri in exempla liberationum diuinarum. Sic enim ait: Accedite ad eum, & illuminamini: Hic pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum. Quis est

enim, cui non obstrepat hæc argumentatio:
Priuilegia non sunt trans formanda in re-
gulas.

Ioseph, Daniel & similes singularem præ-
rogatiuam præ cæteris habuerunt.

Ergo ipsorum mirandæ liberationes non
sunt ad cæteros transferendæ.

Hic respondet Psalmus: Imò ob hanc ipsam
causam Ioseph, Dauid, Dañiel, & alij innu-
merabiles ex miseriis erepti sunt, vt tu simili
fiducia ad Deum accedas, & ab eo expectes o-
pem & salutem. Hæc pars in eo Psalmo præ-
cipue obseruanda est. Nam præcepta de ope-
ribus alias sàpè repetuntur.

Tertius Locus,

De tolerantia crucis.

Libet mihi cum poëta exclamare:

*Frangit & attolit vires in milite causa
Quæ nisi iusta subest, excutit arma pudor.*

Vix enim iusta pro re aliquis moritur, ne-
dùm pro iniusta. Quamobrem opera danda
est, vt conscientiæ puritatem retineamus, & v-
trumque castè & piè conseruemus, non mo-
dò vitam, sed & professionē. Quòd si expertes
culpæ ad damna aut necem rapimur, recorda-
tione & memoria honestorum factorum nos
sustentare poterimus. Neque verò id solūm:
sed

sed etiam in eo acquiescemos, si attentè considerabimus quem ad finem nostræ afflictiones directæ sint. Sunt enim testimonia primum de doctrina, quæ imbecilles inter pios confirmant. Deinde verò de immortalitate ac de vita perpetua. Cùm enim fieri nullo modo possit, vt optima & præstantissima pars generis humani tantum ad miseras conditæ sit, profectò confitendū est, restare aliam vitā, in qua præmia dabuntur bonis, & impij iustis pœnis afficiuntur. Itaque semper in conspectu illud Cypriani habeamus; Causa facit martyrem, non ipsum martyrium.

Quartus Locus,

Necessariam esse Confessionem.

Verè illud à poëta dicitur: Quódque parum nouit, nemo docere potest. Cùm igitur Petrus seuerissimè postulet, vt ad confessionem nostræ fidei simus parati; haud dubiè etiam flagitat, vt doctrinam cœlestem diligenter cognoscamus & percipiamus. Non enim solùm acuenda nobis neque procudenda lingua est, sed onerandum complendūmque pectus māxi marum rerum & plurimarum suavitate, copia & varietate. Ne igitur aut falsā profiteamur, aut quod non satis exploratè perceptum & cognitum sit defendamus, multum operæ & studij consumendum est in doctrina Christiana. Hac enī cognita, nulla iudicia regū

aut Pontificum extimescemos : sed re atque
euenu declarabimus illud quod Psalmus ait:
Loquebar de testimoniis tuis in conspectu re-
gum, & non confundebar.

Quare ut Esaias precatur : Obsigna legem
tuam in discipulis meis , ita nos vota facia-
mus, vt & doctrinæ fundamenta tenere possi-
mus, & hac probè stabilita & fixa, sine vila du-
bitatione propugnemus , sicut hoc ipso die a-
lij discipuli in alia loca Euangelium attule-
runt. Legimus enim Lucium Cyrenum, Pau-
li discipulum primùm docuisse Euangelium,
ad Danubium in Augusta Tyberina , quæ
nunc est Regensburg , eaque in loca venisse
cum Romanis exercitibus, qui Rhetias tene-
bant, consentaneum est. Illuxit Euangelium
Argentoratensi populo, & Coloniæ Agrippi-
næ, doctore Materno Petri discipulo. Trophi-
num Arelati fuisse testatur Eusebius: Clemens
Metenses ad Christi agnitionem vocavit: Cre-
scentem aiunt venisse Moguntiam: Marcum
Pauli discipulum antiqua monumenta Eccle-
siæ Passauiensis ad Danubium testantur con-
cionatum esse in vrbe Iuliobona , quæ sedes
fuit Episcopi in Norico ante collegium Passa-
uiense. Quorsum hæc? Ut intelligas opus ne-
cessarium esse veræ doctrinæ professionem, e-
amque sine multis & magnis virtutibus
sustineri non posse.

Quintus

*Quintus Locus,**De bona conscientia.*

Vetus dictum est, multorum sermone & literis celebratum: Bona conscientia mihi opus est propter me ipsum, sed bona fama propter proximum. Nam polluta conscientia non potest Deum inuocare, quia contrarij motus sunt, constans & perpetua voluntas peccandi, & fiducia accedens ad Deum, ac petens ab ipso reconciliationem. Etsi autem bona & necessaria res est testimonium conscientiae; tamen non est opponendum iudicio Dei, sed iudiciis humanis, ut clarè docet hoc dictum 1 Corinth 4: Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non sum iustificatus. Et 1 Pet. 3 dicitur: Bonam conscientiam habete, ut ora sycophantarum obstruere possitis, & obdurare.

Finis Epistole, die 15 Iulij, quo ante annos 1513 Apostoli & eorum auditores in totam orbem terrarum dispersi sunt. Recte ergo Daniel Ecclesiam noui Testamenti vocat dispersionem, id est, destitutam certa sede, & expositam ad omnes casus subitorum periculorum. Sed in tanta varietate eruminarum illam Christi vocem cogitemus: Non renquam vos orphanos.

DOMINICA VI. & VII.

POST TRINITATIS.

Enarratio capituli ad Romanos.

Quid ergo dicemus? Permanebimus in peccato, ut gratia abundet? Absit: qui enim mortui sumus peccato, quomodo ad huc uiuemus in illo? An ignoratis, quia quinque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Conseptuli enim sumus cum illo per baptismum in mortem: ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vita ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus, hoc scientes, quia ve- tuts homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ut ultrà non seruamus peccato. Qui enim mortuus est, iustificatus est a peccato. Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quod simul etiam uiuemus cum illo: scientes quod Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi ultrà non dominatur. Quod enim mortuus est, peccato mortuus est semel: quod autem nunc uiuit, uiuit Deo. Itaque & vos ex- istimate, vos mortuos quidem esse peccato, vigen-

viuentes autem in Christo Iesu Domino nostro. Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiae eius. Sed neque exhibeatis membra vestra, arma iniquitatis peccato: sed exhibete vos Deo tanquam ex mortuis viuentes, & membra vestra arma iustitiae Deo. Peccatum enim vobis non dominabitur. Non enim sub Lege estis, sed sub gratia. Quid ergo? peccabimus, quoniam non sumus sub Lege, sed sub gratia? Absit. Nescitis, quoniam cui exhibetis vos seruos ad obediendum, serui estis eius cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obediitionis ad iustitiam? Gratia autem Deo quod fuistis serui peccati, obediisti autem ex corde in eam formam doctrinae, in quam tradidisti estis. Liberati autem à peccato, serui facti estis iustitiae. Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestrae. Sicut enim exhibuitis membra vestra serua immunditiae & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra serua iustitiae in sanctificationem. Quem enim serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiae. Quem ergo fructum habuistis tunc, in quibus nunc erubescitis? nam finis illorum, mors est. Nunc vero liberati à peccato, serui autem facti Deo,

habetis fructum vestrum in sanctificationem: finem vero vitam aeternam. Stipendia enim peccati, mors: donum autem Dei, vita aeterna in Christo Iesu Domino nostro.

LOCI V.

- I. *Necessariam esse nouam obedientiam.*
- II. *Enarratio vocabulorum, mortificationis, vivificationis, veteris & novi hominis, carnis & spiritus.*
- III. *De discrimine peccati regnantis & non regnantis.*
- IV. *Consolatio: Non dominetur vobis peccatum: Item, non estis sub lege, sed sub gratia.*
- V. *Aliquot particularum declaratio.*

De primo Loco.

NT Aeschines calumniosè accusat Demosthenem, detrahens ei omnē virtutis laudem: Ita hoc tempore aduersarij rabiosè vociferantur doctrinam de iustificatione, quæ à nobis traditur, nihil esse nisi morum corruptelam, & disciplinæ laxationem. Si, inquiunt, opera nihil momenti habent ad iustificationem, quorsum attinxer nos perseverare in cursu bonorum operum? Hæc oratio popularibus & plausibilibus argumentis instructa, & confirmata impiorum furores, & perturbat imbecilles impios. Quare necesse est opponere veram, luculent-

eulentam, grauem & eruditam Apologiam.
Sunt autem duo argumenta præcipua in hoc
capite, quæ à Paulo Sycophantis opponuntur.
Vnum est, quod ducitur ab ordine causarum
& effectuum.

Mortua natura non debet esse efficax:
Peccatum cœpit in sanctis mortificari.
Ergo deinceps non sit efficax.
Alterum argumentum sumitur à causa for-
mali.

Viua natura semper floreat, semper do-
minetur:
In sanctis inchoata est vita æterna, quæ est
obedientia congruens cum Decalogo.
Ergo necessaria est noua obedientia.
Hæc breuitas syllogismorum melius intel-
ligetur, cum sequentes locos considerabimus.

De secundo Loco.

Magna laus est Aristotelis, quod solus vidit,
tum, cum in partes resoluerentur, propositiones
maximè intelligi. Hac agitur ~~ἀπαλύσει~~ nos
quoque utemur, præsertim cum toties fiat
mentio horum vocabulorum, mortificatio-
nis, viuificationis, &c.

Et Primum quidem mortificatio intelli- I. Morti-
gatur non de ceremoniis aut simulatione, sed *ficiatio*.
de vera pœnitentia, in qua & veteres lapsus
animo colligentes, & præsentem turpitudi-
nem considerantes toto pectore cohorresci-
mus, ac verè dolemus, Deum offendit esse, vt
Dauid

Dauid inquit; Peccavi Domino. Neque verò difficile est ad intelligendum, cur talis pœnitentia mortificatio appelletur. Nisi enim mens his obiectis perterrefacta rursus consolationem ex Euangelio conciperet, mergetur in mortem atque in æternam desperationem, ut legimus accidisse Cain, Sauli, Iudæ, Neroni, & aliis innumerabilibus.

II. Viuificatio. Econtrà viuificatio est illa ipsa consolatio, quam doctrina Euangelij consternatis adhibet. Sic Adam auditæ promissione: Semen mulieris conteret caput serpentis; ex morte æterna ad lucem, iustitiam, & vitam æternam traductus est.

III. Vetus homo. Deinde vetus homo significat omnes vires & appetitiones in eo, qui non renatus est ex aqua & Spiritu. Etsi igitur Pharisæi & alij hypocritæ se magnificè efferunt propter vmbram qualem cunque disciplinæ, tamen reuebra nihil sunt, nisi misera quedam massa contaminata peccato, & rea iræ Dei, nisi ex his malis beneficio Filij Dei eripiatur.

IV. Nouus homo. At verò nouus homo & habetur & nominatur, qui à Deo per Euangelium & Spiritum sanctum iterum genitus est, vt Ioh. 1 dicitur: Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri: sed ex Deo nati sunt. Et Iohannis 3: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non intrabit in regnum cœlorum. Hæc in exemplis cerni possunt. Paulus ante conuersionem etsi multas habebat virtutes, & studium tuendæ disciplinæ: tamen

mens

mens ipsius non recte de Deo sentiebat, & voluntas ab illo summo & maximo bono auersa erat. Certum est igitur personā à Deo damnata & reiectā fuisse: postea verò cùm reuocatur ab errore, & idolatria factus est nouus homo, id est, Deo placens, donatus Spiritu sancto, & hæres vitæ æternæ.

Appellatio carnis describit omnes labores, V. *Caro.*
 studia & conatus, quos impij aut hypocritæ sine Euangeliō & Spiritu sancto suscipiunt. Sic labores Alcibiadis, Lysandri & aliorum innumerabilium, quid sunt nisi contentiones inanæ atque irridendæ? Age verò ne semper de Ethnicis dicamus, quid sunt Pharisæorum & Monachorum exercitia, nisi caro quædam misera & immunda? Hanc sententiam clare confirmat dictum in Iohanne cap. 3. Quod natum est ex carne, caro est.

Hoc probè stabilito & fixo, illud excutien- VI. *Spiri-*
 dum est, quid sit Spiritus, ne relinquamus ali- *tus.*
 quid vel suspicionis vel erroris in verbo.

Spiritus igitur non significat iudicium mentis, gubernantis vtcunque externam disciplinam, sed significat aut personam Spiritus sancti, aut motus ab eodem cœlesti & diuino Spiritu excitatos, congruentes voluntati diuinæ. Itaq; labor Dauidis ducentis exercitū verè fuit spiritualis, quia in ipsis præliis Deum inuocabat, & sensit adesse ducem & gubernatorem certaminum, ac victoriam contulit ad propagandam doctrinam de Deo, de invocatione Dei, de vita æterna, Cùm multi in- terpre-

trepretes natuam horum verborum significacionem obscurarint, gratias agamus Deo, quod eorum notionem & veram intelligentiam Ecclesia restituit, & hanc lucem ad posteros propagare studeamus.

Detertio Loco.

Vetus appellatio est peccati regnantis & non regnantis. Sic enim dicitur Gen. 4: Sub te erit appetitus tuus, & tu domineris ei. Et Psal. 119. Gressus meos dirige, ne dominetur mei omnis iniquitas. Tunc enim floret & dominatur peccatum, cum non est remissum, nec tegitur vmbraculo, id est, à Mediatore Filio Dei. Denique quod impellit hominem, ut ruat ex aliis sceleribus in alia, donec poenitentia tristiss. obruatur. Sic Oedipus interficit patrem, & ex matre ducta in matrimonium suscipit liberos, Eteoclem & Polynicen, qui de regno inter se dimicant. Ipse denique luminibus orbatus in exilium pellitur, & terra dehiscente absorbetur, & tristissimum & luctuosissimum regnum peccati, quod vulgo vocatur *φούρκη*, id est, mortale.

Peccatum vero non regnans est defectus, vel inclinatio remissa & condonata propter Filium Dei, quem ipsa quoque à credentibus vera poenitentia, fide & inuocatione reprimitur atq; extinguitur, vt Ioseph sentit quidem flamas libidinum: sed primum statuit eas remitti propter promissum liberatorem. Deinde

Inde & sua diligentia reprimit & cohercit. Hæc igitur appellationes multò sunt illustriores, quam aliæ peruvulgatæ peccati mortalis & venialis.

De quarto Loco.

Dulcissima sententia est: Non estis sub lege, sed sub gratia. Sed verum est illud, quod Hippocrates ait: τὰ μὲν κάθαρα τῶν σωμάτων ὄκνοιον ἔσεσθαι, μᾶλλον βλάψεις. Corpora impura res optimas & maximè salutares ad pestem perniciemque conuertunt. Etenim syncerum est, nisi vas quodcunque infundis, acescit. Quorsum hæc? Ut intelligas has conciones dulcissimas & suauissimas non pertinere ad homines prophanos & securos, sed ad eos, qui initia pietatis habent. Maria Magdalena, latro in cruce emendatus & similes nō sunt sub lege, sed sub gratia, id est, nō sunt oppressi maledictione legis, sed teguntur à Filio Dei velut umbraculo: propter hunc placet non modò persona, sed & inchoata obedientia.

Haud sanè intelligo, quid dici possit ad consolandas mentes accommodatius. Nam de utraque re vehementer solliciti sumus, & præcipuo quodam dolore angimur. Primum enim querimus, an persona Deo placeat, cum singuli in animo labem conscientiæ habeamus. Deinde non minor questio existit de obedientia. Cum enim res ipsa ostendat, nos molliter & delicate viuere, nec ullum esse in nobis mo-

tum,

tum, qui omnino respondeat legi diuinæ, sæpe in eam cogitationem ducimur, ut existimemus, nostram diligentiam parendi & obediendi Deo, nihil esse nisi inanem quandam contentionem.

Paulus uno versu locum totum conficit, inquietens: Non estis sub lege, videlicet quod ad maledictionem attinet: sed sub gratia, id est, perinde placitis Deo propter Filium, ac si legem integrè facheretis. Hæc consolatio piis omnibus grata & necessaria est, & assiduè cogitanda.

De quinto Loco.

Qui mortuus est, iustificatus est à peccato, id est, mortua natura non est efficax, siue, ut virtutè loquimur, mortuus homo non mordet. Hac simplici interpretatione phraseos contentissimus, nec requiramus subtiliorem.

Quicunque in Christum Iesum baptizatus sumus, in morrem ipsius baptizati sumus. Prior particula, *εἰς ὄντα τὸ Χριστόν*, sæpe in Actis repetitur, & significat finalem causam Baptismi. Ideò enim nascimur ex aqua & spiritu, ut Christum agnoscamus & inuocemus. Quia nomen Hebraica phrasè idem præ se fert, quod Latinis est notitia & celebratio.

Altera particula de causa impulsuа, id est, de merito intelligatur, quasi dicat, Baptismus valet propter admirandam humilitatem, quā Filius Dei in morte & supplicio tolerando præstítit.

præstitit. Alij volunt nos mergi in sanguinem Christi: sed hanc abstrusam & arcana enarrationē omitto, q[uod] o[ste]riæ peccati mors. Hic obseruēt studiosi, vnde metaphora dūcta sit in verbo ὁ ἄνθρωπος. Significat enim stipendium κατ' οἰκοχείῳ: quia præcipua pars mercedis militaris erant commeatus necessarij cibus & potus. Nunc ēre tantum militant stipendiarij.

DOMINICA OCTAVA POST TRINITATIS.

Epistola Rom. 8.

Proinde fratres, debitores sumus, non carni, ut secundum carnem viuamus. Nam si secundum carnem vixeritis, moriemini. Quod si spiritu facta corporis mortificetis, viuetis. Etenim quicunque spiritu Dei ducuntur, hi sunt filii Dei. Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum ad timorem, sed accepistis spiritum adoptionis, per quem clamamus, Abba pater. Idem Spiritus testatur unā cum spiritu nostro, quod simus filii Dei. Quod si filii, igitur & heredes: heredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Si quidem simul cum eo patimur, ut & unā cum illo glorificemur.

LOCI PRAECIPVI. IIII.

I. Necessariam esse nouam obedientiam, nec esse

T

- quiddam àdiáphorov, ut Antinomi docent.
 II. De discrimine peccati mortalis & venialis.
 III. Refutatio Peligianorum, qui immoderatè amplificant facultatem voluntatis humanae.
 IIII. Refutatio Maluenda & similium qui Academicam dubitationem defendunt.

De primo Loco.

Nullam ego maiorem pestem in vitam hominum inuasisse arbitror, quām eorum opinionem, qui fidem & nouam obedientiam distracti hunt, nec suum cuique locum Geometrica proportione tribuant. Etsi enim fide petenda & accipienda est remissio peccatorum: tamen necessariā esse nouam obediētiā, postquām consecuti sumus gratuitam reconciliationem. Clarè enim affirmat Paulus, nos obligatos esse ad diligentiam frenandi & cohercendi flamas cupiditatum errantium, & ad piè castę que viuendum.

Hæc si considerarent Antinomi, qui legis & bonorum operum doctrinam ex Ecclesia tollere atque delere conantur: desinerent profectò tam esse, quām certè sunt pertinaces, vtque verius dicam, proterui. Quis est enim, cui non perspicua sunt illa, quæ alibi pluribus verbis commemorantur? Creaturam rationalem debere obedientiam creatori, à quo constituta & facta est. Deinde & hoc nobis certò persuadamus

amus, fidem & Spiritum sanctum retineri non posse, nisi voluntas nostra in cursu bonorum operum perseveret. Quid? quod poenas & tristissimas calamitates nobis accersimus nostra contumacia.

Quamobrem magnoperè fugienda est siue vanitas siue insolentia Antinomorum, qui fingunt nouam obediētiā tantum esse quidam ἀδιάφοροι, nec fidem exuti, aut Spiritum dolore affici, cūm ruunt homines in morte in fœdissima & teterima scelera. Nobis verò persuasum sit, morbos qui ex interuallo redeunt, & vt hodie loquuntur, qui medicinam profitentur, Reciduas, maiore cum periculo coniunctas esse, quām ea semina, ē quibus initio morbus extiterat. Sed hæc cūm de bonis operibus integrè docetur, accuratiū solent disputari.

De secundo Loco:

Quemadmodū aliàs sāpe hortator fui studiosis, ita & nunc sum, vt eas sententias in scripturis obseruent, quæ præcipuas probationes causarum continent. Sciant igitur studiosi in capite octauo ad Roman. sedem esse, vt vulgo uocat, materiæ atque disputationis de discrimine peccatorum, quorum aliud mortale vocatur, aliud veniale. His enim verbis traditur, cūm ait Paulus: Si secundum carnem vixeritis, mori emini. Nam viuere secundum carnem, est terrè & impiè sese contaminare hu-

manis vitiis atque flagitiis , siue ut vulgo lo-
quuntur , labi contraconscientiam.

Porrò ut Aratus , cùm iam præcordiis con-
ceptam mortem cōtineret , pressis sanè & fle-
bilibus modis perfidiam Philippi deplorauit,
inquiens : ταῦτα ἐπίχειρα τῆς βασιλικῆς φιλασ-
ιδεῖ , hæc sunt præmia regiæ amicitiæ : ita
stulti homines bona , quæ in manibus ha-
bent , non prius intelligunt , quām si ea amise-
runt . Estenim profecto tūm amplissimā tūm
gratissima possessio Spiritus sancti & vitæ
æternæ , quam Deus largè effuséque donathis ,
qui Euangeliō obtemperare incipiunt . Con-
trà verò , indignissimum est , hæc tanta bona
non sollicitè custodire , sed ea petulanter excu-
tere : quod quidem fieri solet , cùm homines
indulgent prauis erroribus & cupiditatibus
contra conscientiam . Imò nisi in hac vita ad
Deum redeant , non solum præsentibus pœnis
onerantur , sed deinceps quoque ruunt in æ-
ternum exitium . O deliratione incredibilem .
Non enim omnis furor stultitia dicenda est .
Sed nos illud Psalmi semper in ore atque in
animo habeamus : Gressus meos dirige , ne do-
minetur mei omnis iniquitas . Ac de primo
quidem peccati genere diximus .

Sequitur ut de altero dicamus , quod à Pau-
lo his verbis describitur : Si autem actiones
carnis spiritu mortificabitis , viuetis . Primum
dilectè significat , non modò in ceteris , sed eti-
am in renatis inesse actiones carnis , id est , de-
fectus & inclinationes pugnantes cum lege
Dei .

Dei. Quis est enim , cui non s̄a penumero incurant in animū tetræ dubitationes de Deo, de prouidentia, de voluntate Dei? Quis tam porrò est ὁ οἰκεῖος καὶ ἀγρός , qui non interdum rabide voluptates inconcessas appetat , ut verbi causa, vindictam, libidines, & alia quæ sunt penè innumerabilia. Est enim illa Ieremiæ verissima vox: Prauum est cor hominis, & ærumnosum & inscrutabile.

Sed has cæcas & temerarias cupiditates iubet Paulus opprimi atque extingui , non tantum Philosophica quadam moderatione, vt Pericles calumniatori pepercit , aut Scipio ab alterius coniuge abstinuit: sed præcipit , vt Spiritu, id est, veris , non simulatis motibus Spiritus sancti , videlicet pœnitentia, fide, inuocatione, tolerantia in cruce, voluptatibus, quæ sunt blandissimæ dominæ , repugnemus.

Ex his multisque aliis perspicuum est, peccatum mortale in renatis esse lapsum contra conscientiam, eique adiunctam esse maximam molem pœnarum præsentium atque externarum, quæ vocabulo mortis significantur. Peccatum autem veniale est defectus & inclinatio vitiosa quidem per se , sed piis remissa & condonata, modò desinat ruere contra conscientiam, nec se se polluant immani turpitudine. Hos ait Paulus viuere, id est, manere in gratia, & retinere præclaram hæreditatem vita cœlestis ac perbeatæ.

Detertio Loco.

Dignissimi sunt odio, & execrandi ab omnibus hominibus Pelagiani, qui Aiacem illum imitantur, multa de se arroganter predicantem. Vt enim Ajax patri benè monenti respondit: Ignauis & timidis opus esse auxilio Dei, se verò etiam sine Deo vincere posse: ita Pelagiani immoderatè amplificant facultatem voluntatis humanæ. Ita enim censem, itaque differunt: Hominem eniti & contener debere quam maximè possit, ut legi diuinæ obedientiam præstet, & hanc effici posse nostris viribus sine Spiritu sancto. O admirabilem licentiam & miserabilem inscitiam disserendi. Si enim tantæ sunt vires in hominum natura, quantas Pelagiani predicant, haud sanè intelligo, cur toties promittatur auxilium Spiritus sancti? Vt enim corpora bene constituta nullis egent remediis, teste Hippocrate in Aphorismis: sic animi nostri tanta faciliatate instructi, quamvis eis Pelagiani tribuant, non magnoperè requirent opem & salutem cœlestis & diuini Spiritus.

Sed nos Paulum concionantem audiimus, qui inquit: Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei, id est, viua Ecclesiæ membra, quæ non tantum Philosophica diligentia reguntur, sed ductum & auspicia Spiritus sancti sequuntur. Hic enim solus est, ut Zachariæ verbis, spiritus gratiæ & precum, id est, testificans, quod simus à Deo recepti & cooptati in col-

in collegium beatorum , & impellens corda
ad veram inuocationem . Quare cùm filius
Dei cōstantissimè assueret : Sine me nihil po-
testis facere ; agnoscamus nostram imbecilli-
tatem , & verè oremus ut nauicula nostra , ad o-
mnes casus subitorum periculorum exposita ,
ab hoc gubernatore , qui nobis promittitur :
Quantò magis pater vester cœlestis dabit Spi-
ritum sanctum potentibus ; in portum saluta-
rem & maximè optatum peruehatur , Amen.

De quarto Loco.

Supra refutauit Antinomos & Pelagianos ,
sequitur ut de tertia opinione perniciosa &
maximè destabili dicam , quæ conscientiis
gratam & necessariam consolationem eripit ,
& dubitationem quasi noctem quandam of-
fundit Contendunt enim Academici , dubita-
dum esse de charitate & benevolentia Dei er-
ga nos & tantisper permanendum esse in du-
bitatione , donec sentias te habere nouitatem
integrā , & omni è parte absolutam : sed hæc
opinio facile refutari potest .

Nam scriptura vniuersa requirit ἀληγο-
ρεῖαν , id est , firmum assensum , & fiduciam ac-
quiescentem in Mediatore , etiamsi non senti-
amus in nobis multas eximiās & singulares
virtutes : sed breuitatis causa testimonio Pauli
contenti erimus , quod extat in hoc ipso octa-
uo capite : Accepistis , inquit , non seruilem
spiritum ὑπερφοβήν , sed τὸ πνεῦμα τῆς οἰκουμένης , cuius

instinctu clamamus, Abba pater. Quid in his verbis est ambigui, si simpliciter & sine cautelatione accipiantur? Discernunt enim legem ab Euangelio, & perspicue docent, Euangelij proprium munus & officium esse, conscientias pacatas reddere. Non igitur fugiamus Deum audita voce Euangelij, sed freti pretio & intercessione Filij Dei ad Patrem ~~per~~^{ad} proprias accedamus, certam persuasionem tenentes, nos ab ipso recipi & exaudiri propter hunc Mediatorem, etiam si obedientia nostra longè distet à perfectione legis.

Finis Epistola, die 9 Augusti, anno

1547.

DOMINICA NONA POST TRINITATIS.

Epistola 1 Corinth. 10.

HAEC autem figura nostri fuerunt, ne nos simus concupiscentes rerum malorum, quemadmodum & illi concupierunt. Neque simulachrorum sitis cultores, sicuti quidam illorum, quemadmodum scriptum est: Sedit populus ut ederet ac biberet, & surrexerunt ad ludendum. Neque stupris inquinemur, sicuti quidam illorum stupris polluti sunt, & cōciderunt uno die viginti tria milia.

lia. Ne quetentemus Christum, sicut & quidam illorum tentauerunt, & a serpentibus extincti sunt. Neque murmuretis, sicut & quidam illorum murmurauerunt, & interempti sunt ab extinctore. Hæc autem omnia in figura cōtigerunt illis. Scripta vero sunt propter admonitionem nostri, in quo termini atatum inciderunt. Proinde qui sibi videatur stare, videat nec cadat. Tentatio vos non caput, nisi humana. Sed fidelis est Deus, qui non sinet vos tentari supra id, quod potestis: immo faciet una cum tentatione euentum, quo possitis sufferre.

L O C I.

- I. De usu historiarum, quæ monumentis Propheticis & Apostolicis comprehensa sunt.
- II. Reprehensio securitatis humanae, quæ, ut Vergilius ait; Nescia est fati sortisque futurae,
Et seruare modum rebus sublata secundis.
- III. Consolatio præcipua & maximè necessaria in afflictionibus, quæ promittit auxilium Dei & salutarem exitum.
- IV. Mandatum aeternum & immutabile de fugienda idolatria.

De primo Loco.

 N gens discrimen est inter sacras & prophanas historias. Nam Ethnicæ narrationes morum ciuilium exempla proponunt, & ostendunt

honestorum consiliorum plerūmque exitus placidos esse. Atrocia verò scelera comitari tragicas calamitates, nec multò plura docent in summa historiæ Ethnicæ. At Propheticæ, res maiores, doctrinam Dei, & testimonia diuinæ de rebus æternis, & Ecclesiæ gubernatiōnem continent, ac præcipue 6 loci in his historiis considerandi sunt.

- I. Primus locus est yberrimus, videlicet doctrina de Deo, de beneficiis Christi, de iustitia fidei, de invocatione & similibus articulis, quorum cognitio Ecclesiæ necessaria & salutaris est.
- II. Secundo loco miracula obseruentur, ut testimonia teneamus, quæ ostendunt, quod doctrinæ genus, & quos doctores Deus approbauerit. Nam mira illa Dei & inusitata facta supra naturam, sunt ῥηγμiæ doctrinæ.
- III. Tertio loco gubernatio & defensio Ecclesiæ spectetur. Ideò enim hæc scripta, & posteris proposita sunt, ut his exemplis confirmatis sentiamus, & nobis sic velle Deum opitulari.
- IV. Quartus locus est consideratio successionis. Docent enim historiæ diuinæ, Ecclesiam propagari non generis aut loci prærogatiuis, sed vocatione & verbo Dei. Familia Iacob est Ecclesia, quia verbi cœleitis doctrinam retinet. Esau non retinet.
- V. Quintus locus est vita, morum, & actionum consideratio.
- VI. Sexto loco etiam vita & lapsus summorum virorum considerentur, ut nos admoneant

ant de timore Dei, & vitanda securitate. Spero ex his quæ dixi non esse obscurum, quanta va-
rietas, copia, suauitas locorum in historiis sa-
crae continetur: quod cum cogitabunt studi-
osæ, plus operæ ac temporis lectioni diuina-
rum historiarum tribuent.

De secundo Loco.

Res nulla est, quæ maiorem hominibus pe-
stem perniciemque afferat, quam securitas &
animi remissio. Sunt enim noti versiculi:

*Pectora dum gaudent, nec sunt astricta dolore
Ipsa patent, blanda tunc subit arte Venus.*

Item: *Ocia securis insidiosa nocent: Et maxi-
mè est memorabilis senarius, qui à Seneca ci-
tatur; Cuius contingere potest, quod cui-
quam potest. Itaque non sine causa, cum Ore-
stem fabulam doceret Euripides, primos tres
versus reuocasse dicitur Socrates:*

Neque tam terribilis vlla fandi ratio est,

Neque fors, neque ira cœlitum inuentum malum,

Quod non natura humana patiendo ferat.

Hæc cum ita sint, danda est opera, ne Diabo-
lus inuadat urbem, id est, vitam nostram fo-
mino vinōq; sepultā. Nullius enim est tāta vir-
tus aut sapientia, quam non de gradu suo de-
iicere possit diabolus, præsertim si destituta
sit excubiis & custodia Filiij Dei. Quamobrem
Pauli dictum semper in animo circumfera-
mus: Qui stat, videat ne cadat; ut nos reuocet
ab ocio & securitate ad timorem Dei, & peti-
tionem

tione auxilij diuini. Prodest etiam hoc dictum meminisse ad refutandam opinionem eorum, qui negant labi posse renatos. Nec ego nunc de hac opinione prolixè disputabo, sed illud usitatum dictum in hac causa recitabo, sophisticum esse, negare manifestam experientiam.

De tertio Loco.

Dulcissima sententia est, & insigenda omnium piorum animis: Fidelis est Deus, qui non sinit nos tentari supra vires, sed dat nobis cum tentatione robur, ut molem ærumnarum ab ipso impositam perferre & sustinere possimus. Primum autem yniuersæ Ecclesiæ hæc consolatio adhibenda est. Omnes enim pī animo & cogitatione ita constituti sunt, ut Imperatorem Theodosium fuisse acceperimus. Hæc enim verba sunt Ambrosij: Dilexi virum, qui cùm corpore solueretur, magis de statu Ecclesiarum, quām de suis periculis angebatur. Quis est autem asperitate ea & immunitate, ut non vehementer solicitus sit, & præcipuo quodam dolore angatur de statu scholarum & Ecclesiarum, quarum coniunctio necessaria est? Nam diabolus omnem regni sui conatum in Ecclesiæ parat atque meditatur perniciem. Incitat enim Turcas, Pontifices & reges impios, ut Christi nomen ex omni memoria posteritatis deleant.

Sed his terroribus opponamus amplissimam

mam & gratissimam consolationem , quæ à Paulo explicatur: Fidelis est Deus , qui non sinit vos tentari supra vires , id est , non sinit Deus Ecclesiam suam penitus opprimi atque extingui , sed eam mirando modo seruabit , eique robur largietur , ut per ipsas ærumnas luceat decus.

Cum in Oriente atque in Ægypto Maximinus , incredibili vsus sævitia , Christi Ecclesiam crudeliter attriuerit , attenuatètq; adeò , ut breui nomen Christi extinctum iri ab omnibus putaretur : mirabili Dei prouidentia reliquiæ non seruatae solùm , verùm multorum Ethnicorum accessione in immensum auctæ sunt , Tyranno interim cum omnibus impiis fame & peste miserabiliter consumitis .

Deinde ad singulos priuatim transferatur hæc dulcis & necessaria consolatio . Magna est omnium imbecillitas , nec facilè est virum bonum nasci , qui manibus , pedibus & mente sit *τετράγωνος* . Quamobrem huic imbecillitatí promittitur auxilium , & hanc promissionem veram esse declarat historia Laurentij , quam Ecclesia hodierno die meditandam proponit . Cum enim Laurentius , diaconus Romanæ Ecclesiæ , Decio auferéti pecuniam ærarij Ecclesiastici nollet cedere , iussu Tyranni , in craticulam ardenter impositus est : Sed lusit vir egregius in media morte , & Tyrano hortator fuit , ut alterū latus , quod satis vstulatū videtur , deuoraret ; alterum verò carbonibus obuerteret . Ideo autem hæc literis memoriamque posse-

posteritatis prodita sunt, ut his exemplis confirmati, sentiamus & nobis sic velle Deum o-
pitulari.

De quarto Loco.

Multi à nobis querere solent, quæ cana-
nos impulerit, vt doctrinam Euangelij am-
pletesteremur, reiecta & repudiata autoritatē
Pontificum & Cardinalium: sed nihil est
quod expedire tam facile possimus. Est enim
æternum & immutabile mandatum Dei, vt
omnes fugiant ~~et adoravirav~~, & filium Dei au-
diant. Ac ne cui hoc mirum videatur, recense-
bo præcipua testimonia, quæ clarè & perspicue
concionantur de vitando cultu idolorum. Ita
enim clamat aperto cœlo Pater æternus: Hic
est Filius meus dilectus, quo delector: hunc
audite. Et in primo præcepto dicitur: Non ha-
bebis deos alienos: item 1 Corinth. 10. Fugite
idola.

Postremò de scelere & impietate regni Pon-
tificij, quod sineulla dubitatione est regnum
Antichristi, scriptum est Apocalypsis 18: Exite
de Babylone populus meus, ne participes sitis
delictorum eius, aut de plagis eius accipiatis.
Quoniam ascenderunt peccata eius usque in
cœlum, & recordatus est Dominus iniulta-
tum eius.

Subiiciet autem aliquis in hac quæstione,
quæ idola sint & impij cultus in regno Ponti-
ficio seu Antichristi? Non mihi si linguae cen-
tum

tum sint, orāq; centum, ferrea vox, omnes idolorum Pontificiorum species percurrere possem. Sed tamen in tanta varietate pauca & maxime insignia exempla annotasse satis erit. Nam Missa nihil nec tetrius nec fœdius exco-gitari potest. Est enim horribilis prophana-tio cœnæ Domini. Neque verò id solùm, sed etiam nubes est, quæ Solem iustitię hominum oculis eripit. Video enim de Missa tres sententias ferri, quarum nullam probo. Vnam, quæ omnes neruos contendit, ut persuadeat sacrificium in Missa esse mediatorem inter Deum & homines. Alteram, quæ fingit Deum opere ipso delectari, magnamque ex eo volup-tatem capere, etiam si nulla pietas, sanctitas, fides in corde sacrificuli luceat. Tertiam, quæ constanter, utque verius dicam, impudenter affirmat, sacrificium Christi nemini opem & salutem ferre, nisi hoc modo Ecclesiæ applicetur. Neque verò viuis tantum, sed etiam mortuis Missam adhibendam esse. Harum trium sententiarum nulli prorsus assentior.

Nec enim illa prima vera est, cum 1 Tim. 2 clare dicatur: Vnum esse Mediatorem, Iesum Christum, qui λύτρον pro nobis persoluit. Quæ autem maior impietas est, quam Christum, qui sacerdotis officio & munere ad postremum usque mundi diem fungitur, transformare in tyrannicum iudicem, quem omnes fugiant & reformident, sine intercessione sanctorum aut sacrificiorum? Pudeat ergo de-sensores regni Pontificij vanitatis & intolentie,

tiæ, quaneruos errorum adhuc retinent, & statim
bilibre conantur.

Altera sententia de opere operato, vt vulgo
loquuntur, longè distat ab re ipsa atque à ve-
ritate. Nulla enim virtus, nulla sapientia Deo
placet sine fide, vt Hebr. 11 & Roman. 14 scri-
ptum est.

Tertia verò sententia, quæ fingit Missam
esse applicationem sacrificij Christi, partim i-
ta fœda est, partim ita flagitiosa, vt dictu quo-
que turpis videatur. Nam Christus ipse Ioh. 17
inquiens: Non pro eis tantum oro, sed pro o-
mnibus credituris per verbū eorum in me; sa-
crificium suū nobis applicat. Et hęc applicatio
fide accipienda est, vt testatur Petri concio A-
ctorum 10: Huic omnes Prophetæ testimoni-
um perhibent, remissionem peccatorum acci-
pere per nomen eius omnes, qui credunt in e-
um. Ac ne plura, quæ sunt penè innumerabi-
lia, consecter, comprehendam breui.

Sic enim statuo: Missam esse idolum illud
efficiēs in Ecclesia vastitatem, de quo Danie-
lis 9, & Matthæi 24 scriptum est. Tanta enim
sceleris in Missa hæret, vt ymbra ipsius con-
tagione obsit articulo iustificationis, & Eccle-
siæ tristissimas calamitates accersat. Non e-
nimir dubito, mundum præcipue puniri pro-
pter idola, & libidines Pontificū, Cardinali-
um, Monachorum & sacrificiorum. Sed ha-
mentaneæ, non satisfaciunt iræ Dei. Quare a-
liud iudicium restat, in quo vniuerso generi
huma-

humano patefiet turpitudo immanis Babylonicæ meretricis, quæ idolis suis præcipuos gubernatores irretitos tenet.

Hoc iudicium cùm aliàs sèpè, tùm paulò accuratiùs describitur 2 Thess. 2: Antichristum funditus delebit atque extirpabit Dominus noster Iesus Christus, cùm magnificè ad nos reuertetur in postrema mundi die. Et Apocalypsis 19 dicitur: Apprehensa est bestia, & cùm ea pseudopropheta, & ambo coniecti sunt in stagnum ignis & sulphuris, qui cruciabuntur ad omnem æternitatem.

Quid tam porrò alienum est ab Ecclesiæ constantia & grauitate, quām inuocatio mortuorum, & discursatio, quæ fieri solet ad statuas? Nec ego nunc de hac opinione prolixè disputabo, sed vnum Epiphanij dictum in hac causa recitabo, qui grauissimè obiurgat inuocantes Mariam, & inquit: πόθεν ἡ οὐρανοβόλη τὸ τιστον φανήσεται πάντες τῷ σώματι εχοντι, καὶ τὸν πεπτυμένων πόθεν οὐκ εἰδὼλοι ἀντιτίθεμα καὶ τὸ ἐγχείρημα διαβολικὸν, &c. Non dubito omnes pios & eruditos abhorreant idolatrica inuocatione Mariæ, quæ diaboli institutum est, & furor turbans homines de sua mente & sanitate. Dies deficiat, si velim plura exempla commemorare, ex quibus intelligi potest, quantos errores Antichristus Ecclesiæ Dei offuderit.

Die Laurentij, anno 47.

DOMINICA DECIMA POST TRINITATIS.

EPISTOLA I CORINTH. 12.

SCITIS QUOD gentes fuistis, & ad simulachra muta, ut cunque ducebamini, sequentes. Quapropter notum vobis facio, quod nullus per spiritum Dei loquens dicit anathema Iesum, & nemo potest dicere Dominum Iesum, nisi per spiritum sanctum. Diuisiones autem donorum sunt, sed idem spiritus: & diuisiones ministeriorum sunt, & idem Dominus: & diuisiones operationum sunt, sed idem est Deus, efficiens omnia in omnibus. Unicuique vero datur manifestatio spiritus, ad id quod expedit. Nam huic quidem per spiritum datur sermo sapientiae: alijs vero sermo scientiae, secundum eundem spiritum: alijs vero fides, per eundem spiritum: alijs vero dona sanacionis, per eundem spiritum: alijs vero efficacia potentiarum, alijs vero prophetia, alijs vero distinctiones spiritum, alijs vero genera linguarum, alijs vero interpretatio linguarum: sed hec omnia efficit unus ille & idem spiritus, dividens peculiariter unicuique sicuti vult.

LOCI PRAECIPVI TRES.

I. *Quomodo sint agnoscendi pseudoprophetæ.*

II. *De*

- II. De duplice confessione.
 III. De gradibus donorum & vocationum, & quem
 adysum dona Dei conferenda sint.

De primo Loco.

Miror quid in mentem venerit
 Theologo Pariensi, qui dixit, om-
 nes religiones rebus conuenire, ver-
 bis discrepare. Nulla enim tetrica
 vox vñquam Stygiis sese extulit vndis quām
 hæc ipsa, quę affirmat, nō rerum permagnam,
 sed verborum paruam dissensionem esse inter
 Ecclesiæ doctrinam, & aliarum gentium fi-
 ctas & commentitias religiones. Itaque opor-
 tunè illud ex Seneca subiiciam:

Aethereas prius

Perfundet Arctos pontus, & Siculi rapax
 Consulet æstus vnda, & Ionio seges
 Matura pelago surget, & lucem dabit
 Nox atra terris, antè cum flammis aquæ,
 Cum morte vita, cum mari ventus

Fidem fœdusque iungent, quām omnes religio-
 nes inter se consentiant. Nam Turci & Iudæi
 in vniuersum reiiciunt articulos de Filio Dei,
 & Christum afficiunt horrendis contumeliis.
 Et de Turcis quidem clarè inquit Daniel cap.
 7: Sermones contra excelsum loquentur, &
 sanctos altissimi conterent.

De Iudæis verò, qui post excidium patriæ
 toto orbe terrarum dispersi sunt, & Deo gra-
 ues iustasque pœnas persoluunt contumacia;

qua Christum repudiarunt , Esaiæ 8 scribitur: Quòd si non amplectentur hoc verbum, non erit eis lux matutina , sed in tenebris tristissimis versabuntur , & maledicent regi suo & Deo suo.

Etsi autem satellites regni Pontificij retinent doctrinam de essentia Dei , & de tribus personis: tamen præcipuum maximèque necessarium articulum de iustitia fidei respuunt & aspernantur.

Ecclesia vero, quæ doctrinam à Christo & Apostolis traditā amplectitur, defendit gloriā filij Dei aduersus Turcicos, Iudaicos, & hæreticos furores, & vtrumq; affirmat, Christū esse natura filium Dei, & mirando consilio æterni Patris ad nos missum esse, ut credentes Euangelio restituat in antiquam possessionem cœlestium ac permanentium bonorum, quæ alibi pluribus verbis commemorantur.

Hæc cùm ita sint , perspicuum esse debet, nullam partem generis humani rectè de Deo sentire, & gubernari à Spiritu sancto, nisi hunc pusillum gregem , qui & personam & beneficia Filij Dei celebrat & illustrat.

Cùm autem scriptum sit: Glorificant me glorificabo ; & Ecclesia ingenti animo defendat Filium Dei , aduersus fœdissimas & terrorinas calumnias impiorum, possumus ne dubitare? quin Ecclesiae afflictæ & miseris modis oppressæ vicissim opitulatus sit dux ille magnus, qui dimicat pro filiis populi sui , vt Daniel. 12 scriptum est.

De

De secundo Loco.

Erudita & necessaria distinctio est , quæ ab Aristotele traditur de quatuor causis actionum moralium. Hos enim gradus recentet, φύσιν, δόξαν, βέλησιν, καὶ προαιρεσίν, id est, naturam, opinionem, simulationem & liberam actionem, quæ à mentis iudicio & voluntatis constantia proficiscitur. Quorsum hæc? Ut intelligas fontes actionum quærendos esse, & prudenter segregandum esse postremum gradum, quem Græci προαιρεσίν dicunt, à reliquis tribus.

Nam ut omittam exempla ciuilium virtutum, quis ignorat, multos ideo tantum Ecclesiæ coiunctos esse societate eiusdem professionis, quod naturâ impatientes sint vinculoru, quibus Pontifex Romanus suos astrinxit.

Sunt autem alij , & hi quidem magni atq; nobiles, qui mentem habent vafri Polypi, qui Protinus illa, se quibus admirit saxa, referre potest. Inflectunt enim opiniones suas de religione ad voluntates Principum, aut eorum cum quibus coniunctissimè & amantissimè viuunt.

Multos etiam videre licet, qui magnum zelum pietatis, vt Paulus loquitur, præ se ferunt, & quasdam sermonis formas, quæ à vera Ecclesia usurpantur, in ore habent, vt possis dicere, hos & intelligere doctrinâ, & vera pietate Deū colere. Sed hi impostores dignissimi odio sunt, & execrandi ab omnib. hominib. quia a-

Iud loquuntur & aliud sentiūt, καὶ ὡς χαριζόμενοι θεῷ, βέλονται αὐτὸν θεραπέουσιν λόγῳ, χειρὶ μηδὲν ταίοντες, τῷ δὲ ἀλλιὰλεῖφοτες, id est, & Deum verbis tantum colunt, quasi Glaucomā ei ob oculos obiiciētes, utque verius dicam, una manu Deum percutientes, & altera ipsum vngentes.

Etsi enim verba, instar simiarum vrcunque imitantur: tamen cùm neruos errorum retineant, fictus ipsorum sermo & inanis similitudo facilè agnosci potest. Est enim similis confessioni, quam turba diabolorum aliquoties edidit, vt narratur in historia Lucæ 8. Sed hanc βέλησιν in diabolis & hypocritis acerimè odit, maximèque detestatur filius Dei, qui verè est παρδιογνώσης, & habet exploratum, talium Sycophantarum mentes à Deo auertas esse, & hanc metam duntaxat in confessione simulata prospicere, vt doctis dolis & facetis fabricis errores & idola stabiliantur.

Reiectis igitur ac repudiatis τῇ φύσει, καὶ δοξῃ, καὶ βελήσῃ, quartum & postremum gradum amplectamur, qui Græcis est περαιτερος. Ea est enim profectò vera pietas & confessio, quæ & mentis iudicium complectitur, & voluntatis constantiam.

Primùm enim mens rectè intelligat doctrinam, & fundamenta causæ, quam agimus, exploratè percepta & cognita habeat. Deinde in voluntate luceat verus timor Dei seu pœnitentia, fides item ac vera inuocatio, quæ doctrinam ad usum vitæ accommodet. Talis confessio

fessio ~~ad eum~~ aperitum, hic à Paulo laudatur, & causis adhibitis describitur: Nemo potest dicere, Dominum Iesum esse Christum, nisi instinctu afflatuque Spiritus sancti. Oro autem aeternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, ut legem suam in nobis obseruat, & cum dederit nobis ut velimus, det etiam ut perficiamus, ut ipsi fiant aliqua grata.

De tertio Loco.

Sæpe mihi de vita humana cogitanti videntur Ecclesiæ & politiæ similes esse alueolis apū. Namq; Vt aliæ victu inuigilant, & fædere pacto, Exercentur agris: pars intra septa domorum Narcisci lachrymam, & lentum de cortice gluten Prima fauis ponunt fundamina, deinde tenaces Suspendunt ceras, aliæ spem gentis adultos Educunt fortis, aliæ purissima mella Stipant, & liquido distendunt nectare cellas: Sunt quibus ad portas cecidit custodia sorti, Inque vices speculantur aquas & nubila cœli, Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto, Ignauum fucos pecus à præsepibus arcent: Sic multis gradibus atque artibus vitæ opus est. Non enim ex medico & medico, sed ex medico & agricultore fit ciuitas, id est, coniunctis omnibus artibus, quas Deus ostendit, ut vitæ præsidia sint. Porro, ut quisque muneribus sua vocationis fungi possit, Deus varia dona hominibus largitur. Alios enim ornat facultate intelligendi, alios in-

struit eloquentia: denique aliis alia dona tribuit.

Sed hunc virum reperire difficilè est, qui ad usum legitimum dona sua conferat. Multos enim videre licet, tanta leuitate & iactatione, his ut fuerit non didicisse melius. Alios pecunias cupidos, gloriaz non nullos, multos libidinum seruos, ut cum eorum vita mirabiliter pugnet oratio. Quamobrem si quis est, qui ab auctoritatibus & ceteris aliorum commoda prouehere studet, & se natum arbitratur ad alias iuuandos & ornandos, is vere in magnis viris habendus est. Hic modus est usurpandi dona Dei, seu facilis seu difficilis: per hanc viam ire necesse est. Nec fas est dona eximia & singularia, à Deo ad utilitatem data, ad hominum pestem perniciemque conuertere.

Finis Epistole, die 12 Augusti, anno 47.

DOMINICA VNDECIMA POST TRINITATIS.

Epistola I Corinth. 15.

Notum autem vobis facio fratres Euangelium, quod Euangelizauit vobis, quod & accepistis, in quo & statis, per quod & salutem consequimini, quo pacto annunciarim vobis, si tenetis, nisi frustra credidistis. Tra-

didi

didi enim vobis in primis, quod & acceperam, quod Christus mortuus fuerit pro peccatis nostris secundum scripturas: & quod sepultus sit, & quod resurrexerit tertio die secundum scripturas, & quod visus sit Cephae, deinde duodecim illis, postea visus est plus quam quingentis fratribus semel. Ex quibus plures manent ad hunc usque diem: quidam autem & obdormierunt. Deinde visus est Iacobo, post Apostolis omnibus. Postremo vero omnium velut abortiuo visus est & mihi. Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum idoneus, ut dicar Apostolus, propterea quod persecutus sum Ecclesiam Dei: sed gratia Dei sum, id quod sum. Et gratia eius, qua profecta est in me, non fuit inanis, sed copiosius quam illi omnes laboravi: non ego tamen, sed gratia Dei, qua mihi adest.

Lege caput 15 integrè à me enarratum in
Loco de Resurrectione mortuorum.

DOMINICA DVODECIMA POST TRINITATIS.

Epistola 2 Corinth. 3.

Fratres, fiduciam huiusmodi habemus per

V 5

Christum erga Deum, non quòd idonei sumus ex nobis ipsis cogitare quicquam, tanquam ex nobis ipsis, sed si ad aliquid idonei sumus, id ex Deo est, qui & idoneos fecit nos misericordios noui Testamenti, non literæ, sed spiritus. Nam litera occidit, spiritus autem vivificat. Quòd si administratio mortis in literis deformata in axis, fuit in gloria, adeò ut non possent oculos intendere filij Israel in faciem Moysi, propter gloriam vultus eius, quæ aboletur, cur non potius administratio spiritus erit in gloria? Non si administratio condemnationis gloria est, multò magis excellit administratio iustitiae in gloria.

LOCI PRAECIPVI TRES.

- I. De difficultate gubernationis Ecclesiastica.
- II. De discrimine Legis & Euangeli.
- III. Consolatio de efficacia ministerij Euangeli.

De primo Loco.

 *Vod Hippocrates de arte medendi dixit: ὁ βίος, βραχὺς: οὐ δὲ τέχνη μάκρη, οὐ δὲ καρδὸς ὀξὺς, οὐ δὲ πεῖρα σφαλερή, οὐ δὲ κείσις χαλεπή: hoc eodem modo de gubernatione Ecclesiastica dici potest. Nam hæc breuis & fugax vita nullo modo par est expli-*

explicationi doctrinæ, quæ immēsum quod-dam continet. Etsi enim summa breuiter tra-di potest, & hanc nosse omnes pueros & senes necesse est: tamen accurata enarratio doctrinæ cœlestis & omnium partium latius patet multorum opinione.

Nam vt omittam cætera membra, quis i-gnorat quanta & quām multa titulus de Deo, & de tribus personis, æterno Patre, Filio & Spiritu sancto complectatur? De his certè ni-hil possumus λογιζεσθαι sagacitate humani in-genij, sed omnis in auctoritate est ex Deo, qui suam essentiam & voluntatem Ecclesiæ patefecit in verbo.

Accedit illa quoque causa, quòd varij casus temporum, personarum, negotiorum expli-cationem desiderant, quorum nulla expressa mentio in sacris literis facta est. Nulla enim lex, vt Iurisconsulti dicunt, omnes casus com-prehendere potest. Et quoniam in hunc ser-monem incidimus, repetenda nobis est veteris cuiusdam exempli, quod Erfordiæ aliquan-do accidit, recordatio.

Audiui à Reuerendo D. D. Martino Lu-thero instauratore purioris doctrinæ Eu-an-gelij, præceptore nostro summa pietate & obseruantia colendo, adolescentem quen-dam libidinibus inflammatum, & omnia ra-bidè appetentem, inexplebili cupiditate ancillam matris, cum quæ erat vidua, per vim comprimere voluisse. Illam autem effugisse επωτικώ μαρια�, & matri periculum pudicitia, ex quo

ex quo difficulter eluctata esset, commemorans. At matrem respondisse, hanc esse ad coer-
cendam adolescentis petulantiam proximam
& quasi compendiariam viam ; si ancilla in-
lecto herili quiesceret, ipsa verò in stratis an-
cillæ filium furentem male multaret. Simul
hortabatur ancillam, ut factio non modò ser-
mone, sed & vultu adolescentem ad noctur-
num concubitum inuitaret.

Hunc igitur dicebat ex pacto venisse, atque
cum matre consuetudinem incestam habuisse.
Sunt enim voluptates blandissimæ domi-
næ, quæ etiam sapientes impellunt, ut pec-
cent: cùmque suscepta esset filia , & à matre
claram educata , accidisse nouum quiddam &
inusitatum. Illum enim ipsum amore filiæ ar-
fisse , & non conquieuisse donecei in matri-
monium traderetur. Ibi verò matrem in tan-
tam consternationem incidisse, ut penè mersa
sit in desperationem. Etenim vehementer an-
gebatur de duplice incestu , nec finem fœdissi-
marum libidinum prospicere poterat.

Quorsum igitur hæc tam multa? Vt intelli-
gas, ministros Euangeliū maximum onus su-
stinere , & hunc docendi laborem non posse
nisi diuina sapientia gubernari, & ad exitum
perduci.

De hoc enim casu quæri potest: an diuorti-
um faciendum fuerit: quo facto , necesse erat
matrem propter incestum interfici , & fili-
um frangi desperatione propter inauditam
sceleris magnitudinem.

Narra-

Narrabat autem idem D. Lutherus Confessionarium eum, cui secretòista miserrima mater questa fuisset, iussisse illam, neque filio, neque cuiquam hominum rem patefacere, & ab uno Deo ardenter petere remissionem tanti peccati. Et prudentiam hanc cum pietate coniunctam vehementer probare D. Lutherus in isto, quanquam Papistico Confessionario, solebat: quem quidem non dubitabat aliquid lucis doctrinæ Euangeli habuisse, ut multi fuerunt olim in Monasteriis, qui veritatis lucem aliquam aspexerunt in mediis tenebris Papatus.

Quis verò non intelligat vel ex hoc uno exemplo, quād difficiles sāpē casus offerantur ministro Ecclesiæ, in quibus difficilimūm est inuenire subita consilia, quæ tūm ad scandalū impedienda, tūm ad conscientias consolandas sint idonea.

Postremò ut alia multa taceam, periculum, est, ne aut proposita Euangeli voce, homines securitatem induant, aut neglecta hac, anili superstitione obligentur. Inter has Syrtes cursus nauigationis Ecclesiasticæ tenendus est. Quare cūm tanta difficultas sit gubernationis in Ecclesiæ agnoscamus nos esse ἐντρόματα, id est, massas imbecilles, abortu editas, & petramus à Deo, ut ipse sit laborum nostrorum Εγκαίνων καὶ ἀγωνοθέτης, Amen.

De secundo Loco.

Origenes inuexit pernicioſas interpretationes

tiones in Ecclesiam de lege: Ex lege non iustificabitur omnis caro, id est, ex ceremoniis. Item litera, id est, historica interpretatio occidit: Spiritus, id est, allegoria de moribus viuificat. Tanta Origenis ætate fuit caligo, ut nec sermonis genus in sacris literis intelligeretur. Hæc ipsa vocabula, quæ sunt præcipua in Ecclesia, quas res propriè significaré, ignorabatur: Lex, Euangeliū, peccatū, Gratia, fides, litera, Spiritus. Hæc tantæ tenebræ cùm depulserint primū Augustini, deinde Lutheri opera, decet nos omnes agnoscere Dei beneficium, idque grata mente celebrare. Significat igitur litera non modò legis doctrinam, sed & omnes conatus ac labores, consilia item omnia, quæ sine Euangeliō & Spiritu sancto ab impiis aut hypocritis instituuntur.

Spiritus verò significat aut personam diuinitatis, procedentem ab æterno Patre & Filio, aut motus ab eodem in Ecclesia excitatos, ut timorem Dei, fidem, invocationem. Ac litera quidē occidit, id est, nō liberat hominem à peccato & morte, sed relinquit genus humanū in dubitatione, cui mors cognata, vel potius adiuncta est. Sic Cato, Brutus, Antonius & alij innumerabiles, cùm nihil nisi legis doctrinā & qualemcumque disciplinam rationis haberent, ad extremum fracti desperatione mortem sibi ipsi consciuère. Spiritus verò viuificat, id est, inchoat in creditibus nouam iustitiam, consolationem: denique alios motus placentes Deo, qui sunt initia vitæ æternæ.

Quam-

Quamobrem conspicuis limitibus discernamus sapientiam Euangelij à Lege, & politicos mores à iustitia Spiritus.

Detertio Loco.

Nota est historia de promulgatione legis, quæ tantum terrorem auditoribus incussit, ut vita ipsorum non longè distaret à morte. Cùm autem legis doctrina, quæ est, ut Paulus ait, ministerium mortis & condemnationis, tām fuerit efficax, possumus ne dubitare, quin Euangelij ministerium in mentibus eorum qui audiunt, quasi aculeos quosdam spiritus & vitæ relinquat? Hac igitur spe literas & doctrinam à Deo traditam tueamur ac propagemus, & sciamus laborem nostrum non fore inanem in Domino.

DOMINICA XIII.

POST TRINITATIS.

Epistola Galt. 3.

*F*ratres, secundum hominem dico: Homini licet testamentum, tamen si sit comprobatum, nemo reiicit, aut addidit aliquid. Porro Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius. Non dicit, & seminibus, tanquam de multis, sed tanquam de uno, & in semine

140,

tuo, qui est Christus. Hoc autem dico: Testamen-
tum ante comprobatum à Deo erga Christum, lex, qua post annos quadringentos &
triginta cœpit, non facit irritum, ut abro-
get promissionem. Nam si ex lege est heredi-
tas, non iam est ex promissione. Atqui A-
braha per promissionem donauit Deus. Quid
igitur lex? Propter transgressiones addita
fuit, donec veniret semē, cui promissum erat,
ordinata per Angelos in manu intercessoris.
Intercessor autē unū nō est, at Deus unus est.
Lex igitur nū est aduersus promissiones Dei?
Absit. Etenim si data fuisset lex, qua posset vi-
uificare, verè ex lege esset iustitia. Sed cōclusit
scriptura omnia sub peccatum, ut promissio
ex fide Iesu Christi daretur credentibus.

Lege caput 3 ad Galat. integrè à me enar-
ratum in Loco de Iustificatione.

DOMINICA XIII. POST TRINITATIS.

Epistola Galat. 5. & 6.

Fratres: Si vivimus spiritu, spiritu & in-
cedamus. Ne efficiamur inanis gloria cu-
pidi, inuicem nos pronocantes, inuicem inui-
dentes. Fratres, etiam si occupatus fuerit ho-
mo

mo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instaurate huiusmodi spiritu mansuetudinis, considerans temetipsum, ne & tutenteris. In unicem alij aliorum onera portate, & sic complete legem Christi. Nam si quis sibi videtur aliquid esse, cum nihil sit, suum ipse fallit animum. Opus autem suum probet unusquisque, & tunc in semetipso tantum glorificationem habebit, & non in alio: unusquisque enim propriam sarcinam bainabit. Communicet autem qui catechizatur sermone, ei qui se catechizat in omnibus bonis. Ne erratis: Deus non irridetur. Quicquid enim seminauerit homo, hoc & metet. Nam qui seminat per carnem suam, de carne metet corruptionem: sed qui seminat per spiritum, de spiritu metet vitam eternam. Bonum autem faciendo ne defatigemur. Tempore enim suo metemus non defatigati. Itaque dum tempus habemus operemur bonum, cum erga omnes, tum vero maxime erga domesticos fidet.

LOCI PRAECIPVI.

- I. De ἀνεικίᾳ sive Aequitate.
- II. De vera gloria.
- III. De aliendis ministris Euangeliū.
- IV. Παραγγελίαι ad cursum bonorum operum.

De primo Loco.

Res atque euentus comprobat dictū Teucri, qui apud Sophoclem in Tragœdia inquit: Mortuis & iacentibus omnia insultant. Tantum enim abest, ut maxima pars hominum afficiatur sensu alienæ calamitatis, ut hoc ipsum delectet eos, videre aliorum lapsus & calamitates. Sic & in Psal. 61 venustissimè describitur ἀνθρώπων: Omnes incumbunt in inclinatum parietem: sed hanc humanæ naturæ prauitatem & malitiam, ex Ecclesia funditus tolli atque extirpari necesse est. Quid enim turpius est, tanquam indignum Ecclesiarum grauitate atq; constantia, quām imitari diabolos, qui verē sunt ἀνθρώπων, & genus humanū ex aliis malis in alia præcipitant?

Quamobrem Christianus homo parebit & obediet præcepto Pauli, qui iubet lapsos erigi, ac simul nos de nostra imbecillitate admonet. Verissima estenim Laberij sententia, quæ à Seneca citatur: Cuius cōtingere potest quod cuiquam potest. Ne autem dispensatio, ut præclarè à Iurisconsultis dictum est, fiat dissipatio, constituendi sunt fines & quasi termini, in quibus ἀνθρώποι ius suum potissimum exerceat.

Primus igitur gradus est, eleganter ferre cōmunes infirmitates, quas in moribus & vita amicorum obseruatas notamus. De hoc gradu

du Paulus inquit: Alter alterius onera portate,
& sic implebitis legem Christi.

Sed fortassè dixerit quispiam, legis imple-
tionem esse integrum obedientiam, ὅπερίκειαν
verò esse duntaxat partem illius obedientiæ.
Est istud quidem aliquid, sed nequaquam in
isto sunt omnia. Nam pater æternus tantam
voluptatem capit ex simulachris virtutum,
quas Ecclesia habet, ut propter Filium suum
Ecclesiam iustum esse pronunciet, perinde ac
si legi satisfaceret.

Secundus gradus est, ambigua facta non
calumniosè in deteriorem partem flectere,
nec leuia errata odiosè amplificare, aut arcana
traducere, sed tegere & sanare.

Tertius gradus est, ante contumaciam can-
didè & amanter admonere errantem & pec-
cantem, & hoc officio reuocare eum in viam.
In his tribus gradibus regnare æquitas seu
ἀνέκτησις præcipue debet. Sed seueritas seu iusti-
tia rigor, ut vocant, aduersus contumaces in
delictis manifestis exercendus est.

Præterea meminerint studiosi hoc Pauli di-
ctum ad refutandos Catharos, qui negant ren-
atos ex aqua & spiritu posse labi, aut certè si
abantur ab Ecclesia non recipiēdos esse. Hos
manifestè condemnat Paulus aut stultitię, aut
vanitatis, aut imprudentiæ, cùm ait: Si quis
præoccupatus fuerit in aliquo delicto, vos qui
spirituales estis, hunc iterum erigitе.

De secundo Loco.

Etsi gloria reconciliationis cum Deo recte detrahitur nostræ virtuti, iuxta illud 1 Corint. 1: Qui gloriatur, in Domino glorietur: tamen gloria honestè factorum in reconciliatis suum locum habet, & magnoperè appetēda est. Ne quis autem cæco & temerario impetu ad gloriam feratur, ante omnia definitio gloriæ cōstituenda est. Estigitur gloria, vera approbatio conscientiæ nostræ, & testimonium aliorum recte iudicantium de honeste factis.

Multa autem complectitur vera approbatio conscientiæ nostræ. Primum enim necesse est nos agnoscere nostram imbecillitatem, quæ nullo modo par est magnitudini rerum gerendarum. Deinde accedat fides, qua statuimus non modò personam nostram, sed & vocationem seu genus vitæ, in quo versamur, Deo placere. Tertiò, exercenda est inuocatio, ac petendum, vt Deus sit Εγαβέντος καὶ ἀγωνθέτος nostri curriculi. Nam sine Deo nulla virtus fœelix est, vt præclarè Nazianzenus dixit: χωρὶς θεοῦ δὲ οὐδὲτε εὐτυχεῖ βροτὸς.

Præstanta est in vocatione ea virtus, quam Paulus fidelitatem nominat. Est autem *fidelitas* conscientia mediocris industriæ & diligentia. Vt enim ignari artis medicæ, qui tam se profitentur esse medicos, sunt impostores, & nocere cogitant: Ita in gubernatione quacunque, afferentes ignorantiam affectatam sunt infideles, id est, habent voluntatem nocen-

nocendi. Opponitur ergo fidelitas ignorantiae & omissioni affectatæ, quibus nulla maior pestis Stygiis sese extulit vndis.

Postremò omnes sani amare debent tranquillitatem, & nihil mouere sine vocatione, sed quæ mandata sunt agere fiducia auxilij diuini. Tantas igitur & tam multas virtutes continet approbatio nostri operis, quæ quidem dignit firmam & stabilem gloriam, quæ est testimonium nostræ conscientiæ, non opponendum iudicio Dei, sed iudiciis humanis.

Sed cur addit non ex alio? Ut discernat veram gloriam à falsa. Nam humanæ actiones omnes, quæ à voluntatibus oriuntur, sunt flexibiles, & facile deprauantur, iuxta illud:

*Et mala sunt vicina bonis, errore sub illo,
Pro virtuo virtus crimina sepe tulit.*

Facile igitur à vera gloria aberratur, nec quicquam in vita visitatius est, quam aut inanis ostentatione, aut odiosa aliorum infectatione gloriam aucupari. Sed hæ viæ longè à re ipsa distant atque à veritate. Neque enim βέλησις diuturna esse potest, nec calumnia stabilem gloriam affert. Danda est igitur opera, ut iuramento Hippocratis obtemperemus, quod ait: ἀγνῶς καὶ δοσίως τηρήσω οὐ τέχνην τιμὴν εἰμιώ, οὐ βίον τὸν επιδρόν.

De tertio Loco.

Præclarè scriptum est ab Aristotele, liberalitatem exercendam esse narrā dīcīav η εἰς δέον,

id est, erga homines, qui digni sunt beneficiis.
 Hoc præceptum Archelaus dux Macedoni-
 cus exemplo comprobauit suo, cùm Euripidi
 talentum donaret, inquiens: ἐγώ μὲν ἀξιός εί-
 δέναι, σὺ δὲ ἀξιός λαβεῖν, id est, Me quidem de-
 cet tantum auri pondus hominibus doctis do-
 nare: Tu vero dignus es, qui id accipias. Ma-
 gifica sane vox, & magno viro ac sapiente
 digna, quæ declarat, nullum maius bonum es-
 se, quam doctrinæ communicationem. Quo
 igitur animo nos esse debemus erga eum, qui
 nos ab errore & idolatria reuocat ad verâ Dei
 agnitionem?

Etsi enim nulla est æqualitas inter res fini-
 tas & infinitas: tamen nequaquam commit-
 tendum est, ut prorsus ingratia erga ministros
 Euangelij fuisse videamur. Quamobrem v-
 nusquisque οἰκτήλων μέρος ἐπ τῶν ὑπαρχόντων
 conferat ad fouendos, alendos & sustentan-
 dos Euangelij doctores, sicut quondam deci-
 mæ sacerdotibus dabantur: Item armi & pe-
 ctus victimarum.

Sed verissima est illa vetus ingratitudinis
 descriptio: Omnia sunt ingrata, nihil fecisse
 benignè est. Nunc enim multis Euangelij
 ministros videre licet, patria amissa lati-
 busque vagari, mendicos & timida voce ro-
 gare cibos, cum natisque errare suis & coniu-
 ge moesta, & cum matre pia, cùmque parente
 sene: curat nemo vagos & lâdere nemo vere-
 tur: non exul curæ ducitur esse Deo: interim
 bonis Ecclesiasticis fruuntur homines indo-
cti

cti, & hostes Euangelij , omnia rabide appetentes cum inexplebili cupiditate, quóque affluentius voluptates vndique hauriant , eò grauius ardentiusque sitientes.

Hæc cùm ita sint, nos Filium Dei æterni, liberatorem & custodem Ecclesiæ suæ oremus, vt ipse pia studia tueatur, & suppeditet discen-tibus viætum, sicut in lege Mosaica cùm tribui Leuiticæ non daretur certa regio possidenda vt cæteris , Deus inquit, se fore eius tribus hæ-reditatem seu fundum: Ita nunc sit fundus & πορεὺς piorum scholasticorum & doctorum, & futurum esse non dubitemus.

Quartus Locus.

Senes sæpenumerò laborant in iis, quæ sci-unt nihil ad se pertinere, serunt arbores , quæ alteri seculo prosint , vt ait Statius , sed nostra est omnis possessio fructuum , quos signunt bona opera, vt Galat. 6 clare dicitur: Quæ quis seminauerit, eadem & metet. Quamobrem animo colligentes τὰ ἐπίχειρα , quæ bonis da-buntur, paratores simus , & tanquam exerci-tatores ad benè honesteque viuendum. Etsi autem non sumus mercatores utilitatum no-strarum in amicitia & charitate Dei, quæ gra-tuita est: tamen iustum & legitimum est , suo ordine appetere præmia, quæ Deus proposuit diligentibus se. Sic enim ad Abraham Gen. 15 dicitur: Ego ero protector tuus, & merces tua magna valde.

DOMINICA XV. POST TRINITATIS.

Epistola Ephes. 3.

Quapropter postulo, ne deficiatis ob afflictiones meas, quas pro vobis tolero, quae est gloria vestra. Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis parentela in celis & in terra nominatur; ut det vobis iuxta diuitias gloriae suae, ut fortitudine corroboremini per spiritum suum in internum hominem, ut inhabitet Christus per fidem in cordibus vestris, fixis in charitate radicibus, & fundamento iacto, ut valeatis assequi cum omnibus sanctis, quae sit latitudo, & longitudo, & profunditas, & sublimitas, cognoscere que praeminenter cognitionis dilectionem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. Ei vero, qui potest cumulatè facere ultra omnia quae petimus aut cogitamus, iuxta vim agentem in nobis, sit gloria in Ecclesia per Christum Iesum, in omnes etates seculi seculorum, Amen.

LOCI PRAECIPVI TRES.

I. De afflictionibus.

ii. De

II. De officio boni doctoris in Ecclesia.

III. Promissio amplissima & gratissima de effectibus Invocationis.

De primo Loco.

Arumnae docentium sunt gloria Ecclesiae. Hoc dictum ex antithesi intelligatur. Epicurei has miserias iudicant esse ignominiam, & signa esse dicunt, quæ ostendunt nos non curare esse Deo: immo si quid curat Deus, nos a Deo abiectos esse. Econtrà vero, nos affirmamus, haec non esse signa reiectionis, sed esse gloriam, id est, obedientiam Deo placentem, & de Deo testificantem, & non tantum exitij causa ordinata, sicut mors pecudis nihil est nisi ignominia, id est, quiddam nihil ad Deum pertinens, & tantum ordinatum, ut illud corpus dissoluantur & dissipetur. Ita mors Iulij res est Deo displicens, non celebrans Deum, & tantum ordinata, ut perpetuo ei male sit. Ex hac collatione iudicetur, quid significet hoc loco gloria, videlicet obedientiam Deo placentem in ipsis ærumnis, & celebrantem Deum, & non tantum exitiosam, sed cuius exitus erit perpetua vita, sapientia, iustitia, & laetitia.

De secundo Loco.

Ingens discriminis est inter Architectum & doctorem Ecclesiaz. Nam ille discedit a fabricata domo aut naui, eamque ventorum &

tempestatum arbitrio relinquunt. Hic verò nondum perfunctus est officio & munere, postquam voce Euangelij Deo Ecclesiam collegit. Est enim periculum, ne vel ab aliis corrum patitur Ecclesia, quæ gremio mollito ac subacto semen sparsum excepit, vel sua sponte degeneret. Quamobrem inuocatio accedere debet ad docendi laborem, ac petendum à Deo, ut Ecclesia in dies singulos proficiat, non solum eruditione, sed & vera pietate, quæ duabus rebus continetur, fide scilicet & charitate.

Sic Esaias pro discipulis precatur: Obsigna legem tuam in discipulis meis, id est, video tristissimas tenebras in populo Dei secuturas esse, & plurimos abiecturos esse doctrinam de Messia, de fide, de vera inuocatione, de veris cultibus, & recepturos esse Ethnicas opiniones de imperio mundano, de cumulandis sacrificiis: Sed te Deus oro, ut verbum quod Prophetis tradidisti, serues in mentibus eorum, qui Propheticam doctrinam audiunt, discut & amplectuntur, & quidem serua obognatam, ne effundant aut verbum ipsum, aut natiuam sententiam,

Detercio Loco.

Dulcissima sententia est, quæ affirmat Deum multò plura & maiora bona hominibus largiri, quam nos ausimus petere, aut in annum inducere. Testes sunt permulti de hac Pauli

Pauli assueratione. Sed nos breuitatis causa
exemplo vno atque altero contenti erimus.

Ioseph cùm in Ægyptum seruili conditio-
ne abduceretur, & postea in carcere cæcæ su-
spicionis tormento detineretur; haud dubiè
hanc vnam rem à Deo petiuit, vt liberatus ca-
lumnia & seruitute, rursus in patriam pote-
statem veniret. Sed hæc vota longè superauit
euentus. Etenim à Deo consecutus est donum
Propheticum enarrandi somnia, quod qui-
dem ei ad amplissimum dignitatis gradum i-
ter patefacit. Nam à Rege propter somnij in-
terpretationem collocatus est ad gubernati-
onem Ægypti, nec quisquam apud re-
gem plus autoritate & gratia valuit quam
Ioseph.

Hæc suspiciunt, admirantur, magnificiunt
omnes, & esse Dei beneficia magnificienda
Verum est: sed volo alia diuina ornamenta
longè maiora etiam aspici, quæ vulgus non
perinde miratur. Erudiuit Ioseph Principes
Ægypti, & senibus doctrinam tradidit, id est,
non solum Reipub. gubernator fuit, sed eti-
am sacerdotis operibus functus est. Latè in
Ægypto propagauit doctrinam de Deo, de
Messia, de natura rerum, de motibus cœlesti-
bus, de virtute & aliis rebus omnibus. Quo
quidem opere quid potuit esse præclarus?

Monica, mater Augustini cùm videret fili-
um implicatum esse labyrinthis Manichæo-
rum, assiduis lachrymis à Deo petebat filij e-
mendationem, & vt ab errore reuocatus ba-
ptismo

ptismo initiari posset. Hic ostendit Deus, se pi-
os gemitus, & vera vota audire. Diuinitus e-
nī accidit, vt non solum amplecteretur ve-
ram religionem Augustinus, sed etiam euade-
ret in clarissimum & optimum Ecclesię do-
ctorem, qui & viuus salutariter rexit Ecclesi-
am, & postquam ex hac militia euocatus est,
relictis utilissimis monumentis, erudit Eccle-
siam perpetuò.

Hæc & similia exempla considerantes, non
dubitemus veram esse Pauli promissionem,
quæ disertè affirmat, res magnificas & saluta-
res, denique longè superantes humanæ men-
tis notionem & intelligentiam impetrari pia
precatione. Oremus igitur Filium Dei, libera-
torem & custodem Ecclesię suę, vt hostium
Euangelij furorem reprimat atque extinguat,
& Sathanam conterat sub pedibus nostris,
Amen.

DOMINICA XVI. POST TRINITATIS.

Epistola Ephes. 4.

Fratres: Hortor itaque vos ego vincitus in
Domino, ut ambuletis ita, ut dignum est
vocatione, qua vocati estis, cum omniis sub-
missione ac mansuetudine, cum omni lenita-
te, tolerantes vos inuicem per charitatem,
studien-

studentes seruare unitatem spiritus, per vinculum pacis. Vnum corpus & unus spiritus, quemadmodum & vocati estis in una spe vaccinationis, vestrae. Unus Dominus, una fides, unum baptismum, unus Deus & Pater omnium, qui est super omnia & per omnia, & in omnibus vobis,

L O C I D V O.

- I. De optimo statu Ecclesie.
- II. De concordia Ecclesiastica,

De priori.

Pato in Epistola quinta describens optimum Reip. statum, inquit: Tunc floret & beata est Respub. quando ipsa suum nomen sonat coram Deo & hominibus, id est, quando status congruit cum appellatione. Hoc eodem modo de Ecclesia potest dici. Non enim satis est, Ecclesiam grauissimo & sanctissimo nomine diuinitatem ornatam esse, nisi eum vita cursum teneat, qui consentiat cum appellatione.

Vt enim, si Grammaticum se professus quisiam, barbare loquatur, aut si absurdè canatis, qui se haberi velit Musicum, hoc turpior sit, quod in eo ipso peccet, cuius profitetur scientiam: Sic Ecclesia in ratione vita peccans hoc turpior est, quod in officio, cuius magistra esse vult,

vult, labitur, artemque vitae professa delinquit
in vita. Cum igitur Ecclesia amplissimum &
gratissimum nomen a Deo consecuta sit: (Ap-
pellatur enim filia & templum Dei, immo di-
lecta anima Dei,) profecto omnes neruos co-
tendere debet, ut hoc decus in vita & moribus
luceat.

Sed fortassis dixerit quispiam: Quod latet
ignotum est: ignoti nulla cupido. Ego vero
nescius sum artis, qua vita regenda est. Huic
oportunè Paulus subiicit breuem enarratio-
nem aliquot virtutum, quibus summa Deca-
logi continetur.

Ac prima quidem est humilitas, qua agno-
scimus infirmitates & sordes nostras, vereti-
memus Deum, & nihil agimus extra vocatio-
ne, & quæ mādata sunt agimus fiducia auxiliij
diuini, non nostræ industriæ, nec despicientes
alios: sed scientes, Deum posse aliis organis v-
ti, & nullius industria fœlicem esse, nisi Deo
iuuante.

Altera virtus est mansuetudo, quæ frenat
iram ut sit moderata, ne ruat contra iustitiam
aut alias virtutes.

Tertia est patientia, quam ipse μακροθυμία
vocat. Est autem obedire Deo in sustinendis
zrumnis, ita ne vel a Deo deficiamus, vele i-
rascamur, vel contra alia p̄cepta Dei facia-
mus, sed moderemur animi dolorem & auxi-
lium, ac mitigationem a Deo expectemus.

Dilectio est vera, non simulata beneullen-
tia, qua alios complectimur, obligans nos ad
multa

multa iustitiae officia , ad docendos alios deo Deo, ad tribuendum aliis honorem, ad iuuandos egentes in necessitate. Nec volo esse prolixior in his virtutum descriptionibus, quoniam alibi de singulis satis multa diximus.

De secundo Loco.

Cum multi in genere declamiferent de concordia, & hac oratione valde plausibili in hominibus moderatis & infirmis saepè conturbent Spiritum sanctum, quærenda est vera, non fucosa descriptio concordia Ecclesiastica, quod apertius intelligatur id, de quo disputatur. Est igitur concordia Ecclesiastica summa consensus iudiciorum de omnibus doctrinæ articulis, quam sua sponte comitatur voluntatum coniunctio.

Hec definitio perspicua est, & sumta ex multis testimoniis, ut ex dicto Christi Iohann. 17: Ora Pater, ut in nobis unum sint, id est, primùm consentiant nobiscum, sint illustrati nostraluce & veritate. Non enim hoc tantum petit, ut simus concordes, sicut in gubernatione Reipub. duo magni viri cōcordes fuerunt, Augustus & Agrippa, Epaminundas & Pelopidas, sed nominatim dicit: In nobis unum sint, id est, unam doctrinam amplectantur.

Postquam autem cum Deo copulati sunt homines, tum vult retineri humanarum rerum cum benevolentia & charitate summam confessionem, & vetat turbari Ecclesiam. Ephes.

phes. 4: Magna cura & solicitudine retinet eum
nitatem Spiritus, id est, doctrinæ, quæ animos
inter se velut adamantino clavo duinciat. 2
Corinth. 6. Nolite iugum ducere cum infide-
libus. Quæ enim societas esse potest inter iu-
stitiam & cutumaciam? aut quæ communio
luci cum tenebris? quæ porrò consonantia est
Christi ad Diabolum? Denique nihil est ab-
surdius, quam templum Dei coniungere cum
idolis.

Ex his dictis perspicuum est, animam con-
cordiæ Ecclesiasticæ esse consensum de doctri-
na, nec audiendos esse quosdam ineptos con-
ciliatores religionum, qualis apud Platonem
Hippias, & L. Gellius à Cicerone describitur,
quorum uterque sectas philosophorum de
maximis rebus dissentientes conciliare stu-
det.

Cum autem simile simili naturâ cognatum
sit, haud scio an illa res pulchrior sit, quam
sanguis cōfessio membrorum, quæ in uno cor-
pore locata sunt, & ab eodem spiritu vitali ag-
itantur. Quid tamen porrò decet, quam ten-
dentes ad unum finem non ζυγομάχειν, sed
congruere voluntatibus, studiis & sententiis?
Denique arctissimum amicitiæ vinculum est
societas eiusdem professionis.

Sumus autem omnes membra unius corporis,
id est Ecclesiæ, & eundem Spiritum à Deo in-
nos effusum accepimus. Tendimus etiam
ad unam metam æternæ beatitudinis, ac so-
cietae doctrinæ & sacramentorum copulati-
sumus.

sumus. Quamobrem concordiâ Ecclesiasticâ nihil potest esse tûm fructu latius, tûm aspectu pulchrius. Quam quidem ut nobis Deus largiatur, omnes pij toto orbe terrarum coniungere vota & gemitus debent. Sic enim in Ps. 122 dicitur: Rogate quæ ad pacem sunt Hierusalem, pax multa diligentibus eam.

Finis Epistole, die 25 Sept. anno 47.

D O M I N I C A XVII. POST TRINITATIS.

Epistola I Corinth. i.

Fratres: Gratias ago Deo meo semper pro vobis, de gratia Dei, quæ data est vobis per Christum Iesum, quod in omnibus ditati estis per ipsum, in omni sermone & in omni cognitione (quibus rebus testimonium Iesu Christi confirmatum fuit in vobis) adeò ut non destituamini in ullo dono, expectantes revelationem Domini nostri Iesu Christi, qui & confirmabit vos usque ad finem, inculpos, in die Domini nostri Iesu Christi,

LOCI DVO.

- I. *De gratiarum actione.*
- II. *Consolatio opponenda nostra imbecillitati.*

Y

De primo Loco.

 Vid reddam Domino pro omnibus quæ mihi dedit? Hostiam laudis sacrificabo ei, & nomen Domini invocabo. Libet enim verbis iisdem mihi uti, quibus Dauid in Psalmo utitur stupescens admiratione beneficiorum Dei. Quanta enim bonitas est, quantus amor erga genus humanum, quod Deus non voluit perpetuò latere in illa sua luce ignota omnibus creaturis? sed mundum & omnes mundi partes condidit, ut essent domicilium naturæ humanae.

Postquam vero homines lapsi sunt, & perstanceranter sibi accersiuerunt morte & alias miseras, rursus imensa misericordia promisit Filium liberatorem, ut nos ab interitu vindicaret, ac restitueret in antiquam possessionem gratiam & permanentium bonorum.

His omnibus velut επιστημα addidit donationem Spiritus sancti, non solum ut hoc monitore beneficiorum ipsius memores essemus, sed etiam ut eodem adiutore cum velimus, tum etiam possimus pie & sanctè vivere.

Quare cum tot & tanta bona a Deo in nos profecta sint, meritò atque optimo iure queri potest, quem auctoritate Deus a nobis postuleat? Et enim pro magno beneficio magna, ut dicitur, debetur gratia.

Dauid uno versu omnem hanc disputationem conficit: Offer, inquit, Deo hostiam laudis,

dis, & nomen Domini inuoca. Quid est enim præterea, quod Deo reddere possim⁹? Est enim ἀυταρχὴς τὸς ἐν δαιμονιαῖς, id est, Deo ex se ipso apta sunt omnia, quæ ad benè beatéq; viuen- dum conferunt. Quapropter nec aurum po- stulat, nec Tragœdias captiuorum, vt Zaleuci verbis utar, sed ἐν χαρισμαῖς requirit, celebra- rem æterni Patris, Filij eius, Domini nostri Iesu Christi, & Spiritus sancti χρησότητα καὶ φι- λανθρωπίαν.

De secundo Loco.

Cùm nulla sit hominis perfecta virtus, ac multi rectorem filium Dei excusserint, vt Saul & alij innumerabiles: denique cùm ma- gna sit potentia Diaboli, insidiantis humano generi, omnes pios vehementer angit atque sollicitos habet quæstio de perseverantia. Di- spitant enim piæ mentes, quomodo intertote & tam multa impedimenta lucem fidei ad su- premum usque ad vitæ diem retinere possint. Ut enim aquæ multitudine vis flammarū op- primitur, ita cogitat̄ pij fidem facile extingui posse, præsertim cùm variis ac diuersis modis imbecillitas nostra oppugnetur.

Aduersus hanc humanam ratiocinatio- nem teneantur consolationes passim in Scri- ptura traditæ, vt 1 Corinth. 10: Fidelis est Deus, qui non sinit nos tentari supra vires, sed da cum tentatione robur, vt possimus sustiner. Et Philipp. 2: Deus qui dedit vobis vt credidis,

dabit etiam ut perficiatis, ut ipsi siant aliqua grata. Ioannis 10: Nemo rapiet eas de manu mea. Ioan. 14: Non relinquam vos orphanos, sed veniam ad vos: rogabo Patrem, ut alium paracletum det vobis, Spiritum veritatis, manentem vobiscum ad omnem æternitatem. Lucæ 22: Rogavi pro te, ne deficiat fides tua.

Has consolationes perpetua conseruemus memoria, & ad usum in invocatione conferamus, ac petamus ardentibus pectoribus, ut Deus confirmet hoc, quod operatus est in nobis propter templum sanctum suum. Tua est hæc vox & promissio, viue & vere Deus, æterne pater Domini nostri Iesu Christi, Conditor omnium rerum & Ecclesiæ: Propter nomen meum miserebor vestri, propter me faciam, ut non blasphemer. Teigitur oro toto pectori, ut propter gloriam Filij tui semper tibi inter nos quoque Ecclesiam æternam voce Euangelij tui colligas, & propter Filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum crucifixum pro nobis & resuscitatum, μεσιτων κατερηνα pectora Spiritu sancto regas & obsignes, ut te verè inuocemus, & officia tibi placentia præstemus,

Amen.

Die 4 Octolris, anno 47.

DO-

DOMINICA XVIII.

POST TRINITATIS.

Epistola Ephes. 4.

Fratres: Renouari verò didicisti spiritu mentis vestrae, & induere nouum hominem, qui iuxta Deum conditus est per iustitiam & sanctitatem veritatis. Quapropter deposito mendacio, loquamini veritatem quisque proximo suo, quoniam sumus in unicem membra. Irascimini, & non peccetis: Sol ne occidat super iram vestram, neque detis locum calumniatori. Qui furabatur, non amplius furetur: magis autem laboret operando manibus quod bonum est, ut possit im partiri ei qui opus habuerit.

LOCI PRAECIPVI IIII.

- I. Doctrina de imagine Dei in homine.
- II. Praeceptum de veritate.
- III. De cobibenda iracundia & deponendis odiis.
- III. De ritandis furtis.

De primo Loco.

Magna nobis pueris opinio fuit, Deum habere speciem humanam, in qua compositio membrorum, & conformatio lineamentorum cer-

nitur. Sed hanc puerilem cogitationem refusat sententia Christi, Ioannis 4: Deus est spiritus, id est, natura spiritualis, segregata ab omni concretione mortali. Neque vero illa Seruetianorum opinio probanda est, quæ finit, animam rationalem ex ipsa Dei mente natam esse. Hæc enim laus filio Dei propria est, de qua nihil sibi homines, nihil angeli, nihil cæteræ creature decerpunt.

Relinquitur ergo simplex enarratio Pauli, qui imaginem Dei hominibus impressam interpretatur de qualitate, id est, de agnitione conditoris, quam in voluntate & corde contabatur vera iustitia & sanctitas. Nam in membris primorum hominum nullæ erant tenebræ, nullæ dubitationes, sed fulgebat clara & illustris notitia Dei: deniq; ipsorum mentes erant quasi specula quædam & libri sapientiæ diuinæ. Quare cum audis nominari legem nature discernentē honesta & turpia, scito mentionem fieri reliquarum pristinæ dignitatis.

Voluntas vero non tantum decerpebat ex omnibus virtutibus florem, sed ardebat dilectione Dei, quæ cæteras virtutes integrè complectebatur.

Postremò cor placidè obtemperabat iudicio mentis, nechabebat tot & tam varias agitations affectuum, ut nunc habet.

Hæc dulcissima è uita & omnia virium èrat imago & similitudo Dei, insita & quasi insculpta hominum naturæ. Qua de re cogitantes, deploremus nostrum exilium, in quo spoliati

liati atque orbati talibus donis miserabiliter vagamur, & petamus à filio Dei, ut nos quasi iure postliminij in antiquum patrimonium restituat, ad quod obtainendum præparemus nos partim auxilio Spiritus sancti, partim nostra diligentia.

Secundus locus,

Præceptum de Veritate.

Præclarè ait Plato : Veritatem causam esse omnis boni, diis & hominibus: Αληθεία δὲ πάντων μὲν ἀγαθῶν θεοῖς ἡγεῖται πάντων δὲ ἀγθεώποισι. Nam si nulla esset vera doctrina de rebus diuinis, quæ posset esse pietas? quæ sanctitas? quæ religio? Hæc enim omnia purè & castè Deo tribuenda sunt, si est aliquod certum doctrinæ genus diuinitùs reuelatum. Ex quo efficiuntur omnes opiniones & cultus discrepantes ab hac norma, quam Deus tradidit, esse contumelias aduersus Deum. Nam veri adoratores colunt Patrem spiritu, id est, motibus à Spiritu sancto excitatis, & veritate, id est, prælucente verbo, quod à Deo Ecclesiæ commendatum est.

Deinde veritate sublata, dici non potest, quanta in omnibus artibus, in iudiciis, in contractibus, & aliis vitæ negotiis perturbatio atque confusio sequatur. Quòd si hæc incommoda nos fortassis parùm mouent, illa certè quæ deinceps exponentur, mouere debebunt.

Sumus enim à principio ita constituti & facti, ut Deum & alias res omnes verè cognoscamus: quod ut facilius efficere atque aseque possumus, in dedit nobis Deus cœlestem in pectori lucem, notitiae infundens semina certa suæ. Nobis enim insitum est discrimin honestorum & turpium: denique in nobis consignatae sunt notitiae numerorum, figurarum, & ordinis intelligentia. Quid est autem aliud Gigantum more bellare cum diis, nisi naturæ repugnare? Condemnemus igitur Epicurum & similes immanitatis, qui naturæ suæ bellum inferunt, suscepto patrocinio absurdissimarum opinionum.

Cùm autem hostis Dei & generis humani diabolus nomen à mentiendo acceperit, non facile quis dixerit, mendacio quicquam esse aut foedius aut tetrius. Omnes igitur Sophistæ & alii impostores proximè ad diabolorū vim atque naturam accedunt.

Neque verò dubium est, bonas mentes vehementer impelli ad colendam veritatē, si consideret singulas virtutes esse monitrices & concionatrices de Deo, hoc est, monstrare qualis sit Deus. Ut enim iustitia, quæ est omnium domina & regina virtutum, docet nos, Deum non esse ~~αρσενικόν~~, sed ~~αρσενικόν~~: si veritas testatur Deum veracem esse, & promissa optima fide præstare. Quare cùm propter alias causas, tūm ob hanc potissimum veritatem amenemus & colamus, ut nos admoneat de certitudine

tudine diuinarum promissionum, in qua nititur Ecclesiæ salus.

Detertio Loco.

Etsi non probamus Stoicorum somnia de affectibus: contendunt enim Stoici, omnes affectus simpliciter malos eosdémque ex natura hominis funditus extirpando esse: tamen cum ira sit vehemens incendium animi, & sapientes etiam impellat ut peccent, danda est opera, ut hoc incendium quamprimum extinguiatur atque opprimatur. Si quis enim hoc vulnus alit venis, ut de amore Vergilius dixit, & cæco carpitur igni, fieri nō potest, quin tandem erumpat, & aliquid faciat contra iustitiam & alias virtutes. Auget etiam cupiditatem vindictæ diabolus, cui nihil deliberatus est, quam nos quacunque ratione euertere.

Quamobrem ira, quæ ex priuatis offendib⁹ extitit, frænanda est, ne in odium degeneret, quo nulla maior pestis Stygiis sele extulit vndis. Quæ enim inuocatio, aut qui cultus Deo præstari potest, si corda odiis inflammat⁹ sint? Hæ enim *egrrvres* hominē à Deo auellunt, & in hanc sententiā ducunt, ut existimet vindictam maius bonum esse amicitia & charitate Dei. Plena vita exemplorum est, sed nos breuitatis causa exemplo contenti erimus vno. Saul cum non obstatisset principiis amationis aduersus Dauidem, nullam deinceps medicinam parare potuit, cum mala per lon-

gas conualuisser moras: sed desertus à Deo, sicut in sacerdotes innocentes, & ex aliis malis in alia furenter præcipitatus est, donec ad extreum sibi mortem consciuit. Cùm igitur tot & tantorum malorum fontes sint odij semina, frenemus iracundiam, nec gratifice-
mur affectui referenti malam gratiam, ut Gra-
ci dicunt: *χαρίζεται ἀχαριστάτῳ πάθος*.

Quartus Locus,

De vitandis furtis.

Verum est dictum illud Catonis: Nihil a-
gendo discunthomines male agere. Ne igitur
ἀργία, cui cognata est vel potius adiūcta ino-
pia, nos hortetur ad malas artes, discamus ali-
quid ab ineunte ætate, quod vel ad gloriam
Dei, vel ad hominum salutem spectet, in eoque
ita nos exerceamus, ut non modò victum no-
bis ipsis, paremus, sed vt aliis egētibus
δημόσιον μέρος ἐκ τῶν ὑπαρχόντων largiri possimus.
Et si autem omnes fatentur, hanc esse ad opes
parandas proximam & quasi compendiari-
am viam: tamen videre multos licet, qui æra-
rium defraudent, alios qui iniuste occupent
fundos aut reditus Ecclesiasticos, nonnullos
monetam adulterantes, denique *πλεονεκτή-
ματα* in tanta sunt varietate, ut ea molestum
sit numerare.

Hæc cùm ita latè vagentur in vita homi-
num, vt quidam Iurisconsultus dixerit, Mun-
dum

dum non posse stare sine usuris, grauis causa fuit, cur Paulus hoc præceptum de labore honesto, & vitandis furtis Ecclesiæ proponeret. Tanta est enim corruptela malæ consuetudinis, ut ab ea tanquam igniculi extinguantur à natura dati. Reuocat igitur nos ab errore imperitæ multitudinis ad conspectum & considerationem mandati diuini: Non furtum facies.

Die 25 Octob. anno 47.

DOMINICA XIX. POST TRINITATIS.

EPISTOLA EPHES. 5.

Vide et igitur fratres, quomodo circumspicere ambuletis: non ut insipientes, sed ut sapientes, redimentes occasionem, quod dies mali sint. Propterea ne sitis imprudentes, sed intelligentes, quæ sit voluntas Domini. Et ne ineberiemini vino, in quo luxus est, sed impleamini spiritu, loquentes vobismetipsis per Psalmos & hymnos, & cantiones spirituales, canentes & psallentes in corde vestro Domino, gratias agentes semper de omnibus, in nomine Domini nostri Iesu Christi, Deo & Patri. Subditi viciissim alius alij cum timore Dei.

LOCI PRAECIPVI TRES.

De gubernanda vita & inuocatione.

II. De

II. De temperantia.

III. De Musica.

De primo Loco.

Nota est illa Ieremie^q vox: Scio Domi-
ne, quod nō est hominis via eius, nec
est viri dirigere gressus suos. Cūm e-
nim magna sit imbecillitas omni-
um hominum, & diabolus omnem regni sui
conatum in nostram perniciem paret atque
mediteratur, facile intelligi potest, difficilem es-
se gubernationem vitæ priuatæ & vocationis
inter tot & tam varia impedimenta.

Multos enim videre licet tanta cupiditate
regnandi inflammatos & furentes, ut omnia
iura diuina & humana peruertant, propter e-
um quem ipsi sibi opinionis errore finxerunt
principatum. Alij verò peccant πολυπειρω-
τῶν, ut Pericles, Alcibiades, Demosthenes, qui
& seipso & Resp. mouendis rebus non neces-
sariis euerterunt. Nonnullos à negotiis ab-
ducunt blandissimæ dominæ voluptates.

Denique quām sit infirma ac fugax omnis
humana sapientia ac virtus, maximè osten-
dunt Heroica exempla, ut in Hercule, Alexan-
dro & aliis multis, quām ardentes initiò im-
petus ad virtutem fuerint, quibus aliquantò
pōst in ocio languefactis, quanta dedecora
consequuta sunt? Nam sine filio Dei, ut ipse
inquit: Sine me nihil potestis facere, etiam
cœlestia dona non sunt durabilia.

Quam-

Quamobrem animo colligentes varia impeditamenta, quæ partim à nostra imbecillitate, partim à diabolo oriuntur, ambulemus accurate, non ut fatui, id est, laxantes frœnum cœcis ac temerariis cupiditatibus, sed ut sapientes, qui frenant errantes vitiosæ naturæ impetus, & huic diligentia adiungamus seriam inuocationem, in qua petendum est, ut Filius Dei sit ἀγαπητὸς καὶ βεβερωτὸς nostri curriculi.

Secundus Locus,

De temperantia.

Cum complector animo, quinque causas reperio, cur temperantia colenda videatur: unam, quod à Deo hæc virtus mandata sit. Alteram, quod animos præparet ad inuocationem. Tertiam, quod valetudinem tueatur & conseruet. Quartam, quod hominis excellētia nihil tam indignum sit, quam ebrieras. Quintam, quod in ebrietate insit avaritia. Earum, si placet, causarum quantum queque valeat, quantumque iusta sit unaquaque, videamus.

Principiò satis constat, homines obligatos esse, ut Deo præcipienti obediant, etiam si causam nullam præcepti afferat. Quis enim hunc hominem dixerit, qui cum videat, menti diuinæ & præpotenti Deo parere omnia, neget nostrum genus, cui prima est cum Deo rationis societas, lege eadem teneri. Sunt autem perspi-

perspicua mandata, quæ nobis hanc virtutem commendant, quam Græci σοφεσσίννη dicunt: Nolite vino inebriari: Item, Cauete, ne corda vestra immoderato tumescant potu atque pastu. Sit igitur hoc iam à principio omnibus persuasum, tantam vim habere leges diuinias, ut etiam sine ratione ipsarum valeat au thoritas.

Illud etiam cōsideremus, σοφεσσίννη parentem esse inuocationis, quæ omnium domina est & regina virtutum. Ut enim color non agit radices in lana, nisi prius tincta sit succo Istatidis, sic nullam ab hominibus ebriis inuocationem fieri posse, omnes vno ore consen tiunt. Quanta autē miseria est, hominem ita viuere, vt omnibus telis diaboli vita ipsius proposita sit, nec ullum habere clypeum ad hæc tela venenata atque mortifera repellenda? Hinc profectò homini, iuxta Sileni sententiam, non nasci longè optimū esset, proximum quamprimum mori. Dāda est igitur opera, vt parcè ac sobriè viuamus, ne vel exiguo tempore summus & maximus cultus inuocationis cesseret.

Sequitur tertia causa, quod σοφεσσίννη defendat ac tueatur bonam valetudinem. Non ego prolixè de hac causa disputabo, sed vnum Cāleni dictum recitabo, qui ait, Sophisticum esse manifestam experientiam negare. Cùm igitur constet, heluatione corpus labefactari & frangi, & ad morbos senectutēmq; compelli, contrā verò multis magnis morbis mederi abstinentiam

nentiam & quietem, hunc honorem corpori habeamus, ut declinemus ea, quæ nocitura vi-deantur, omniāque quæ sunt ad tuendam valetudinem necessaria, inquiramus & pare-mus.

Quod si minus quidem intelligitur, quan-ta vis sit temperantiæ, ex ebrietate atque fœ-dissimis heluationibus percipi potest. Quid est enim ebrietare turpius? quid tam porrò in dignum hominis excellentia præstantiāque, quām se corporis voluptatib⁹ dedere, earūm que se quasi ministrum præbere, impulsuque libidinum voluptatibus obedientiam Deo-rum & hominum iura violare? Cūmq; ebrie-tas polluat imaginem & templum Dei, haud facilè quis dixerit, ebrietate quicquam esse fœdius ac tetrius.

Quinta restat causa, quæ docet ebrietatem esse omnium virtutum corruptelam, ab eāque exoriri & cōfirmari vitia contraria. Nec enim libidine dominante, temperantiæ locus est omnino, nec in voluptatis regno virtus po-test consistere. Quod quod magis intelligi pos-sit, versus Bacchi audiamus, quem Eubulus poëta sic facit loquentem:

*Tres ergo tantum sanis crateras misceo:
Vnum valetudinis, & hunc primum ehibunt:
Secundum amoris, ac soporis tertium,
Quo qui sapere solent eunt hausto domum:
Nam quartus haud est amplius crater meus,
Sed contumelia velut huic proximus
Clamoris; hunc sequitur commessandi furor:*

Ita septimus habet vulnera, octauus forum,
Non usque stomachum: At decimus est insanus,
Qui iam pedibus insistere amplius haud sinit:
Nam plurimum vini inditum in vas parvulum
Sternit, sine omni quem replet negotio.

Versus Eubuli citantur ab Atheneo lib. 2.

Τρεῖς γάρ μόνον κρατίσας ἐγκεφαννύει
Τοῖς ἐνυφρούσι. τὸν μὲν ὑγέιας ἔνα,
ὅν πρῶτον ἐμπίνει: τὸν δε δέυτερον
ἔρωτον ἰδονῆς: τὸν τρίτον δέ υπνόν,
ὅν εἰσπίουστε οἱ σοφοὶ κεκλημένοι
ὄντας βασιλέσσιν: οὐδὲ τέταρτον ὄχέτε
ὑμετέρων ἐστι, ἀλλ' ὑβρίων: οὐδὲ πέμπτον βοῦς:
ἕκτος δεκάμων: ἔβδομον δέ ντωσίον:
οὐδότον δὲ κληπόρων: οὐδὲ ἕννατον χολῆς:
δέκατον δὲ μανίας, δέσμη βάλλειν ποιεῖ.
πολὺς γάρ εἰς ἐν μικρὸν ἀγρεῖον χυθεῖς
ὑποσκελίζει φᾶσα τὰς πεπωκότας.

Quocirca nihil esset tām detestabile, tāmq;
pestiferum, nihil denique tām inimicum
menti, rationi, cogitationi, quām ebrietatem
putemus.

Tertius locus,

De Musica.

Laudanda est Aristotelis sententia, qui in
octavo Politicorum tres utilitates Musicæ re-
censet. Sic enim ait: φάμεν δ' αὐτὸν μιᾶς ἐνεκεν ἀφε-
λεῖσας τὴν μεσικὴν χρῆσιν δεῖν, ἀλλὰ καὶ πλειόνων χάσιν
καὶ γνωστέοις ἐνεκεν, καθάρσεως τριτοῦ δὲ τετρ

αὐτούσιν

οὐεστινὴ τοῦτο τῆς συντονίας ἀνάποδη. Musica
 tantas oportunitates habet, quantas vix queo
 dicere. Principiò prodest ad regédam discipli-
 nam. Aiunt enim Pythagoram, adolescentes
 quosdam, cùm honestæ cuidam fœminæ, in
 conuiuio inflammati vim afferre conarentur,
 mutato cantu tibiarum (qui in conuiuiis ex
 more adhibebatur) spondæis tardiusculis fle-
 xisse, vt compressa libidine ab incepto desiste-
 rent. Deinde nihil est tām cognatum menti-
 bus nostris, quām numeri atque voces, quibus
 & excitamus & incendimur & lenimur & lan-
 guescimus, & ad hilaritatem & ad tristitiam
 sepe deducimur. Denique concentus homi-
 nem ex magno labore suauiter recreat & refi-
 cit. Cūmque plurimas & maximas commo-
 ditates Musica contineat, tūm illa nimirum
 præstat omnibus, quod sententias de rebus sa-
 cris, non in aures infundere, sed in animo vi-
 detur inscribere. Nec dubium est, ob hanc i-
 psam causam, Dei concessu atq; munere data
 esse Musicam mortalium generi, vt animos ad
 rerum cœlestium cōtemplationem traducat.
 Quamobrem hoc diuino munere ac dono
 teuerenter vtamur, idque ad authoris
 celebrationem potissimum
 conferamus.

Calendis Nouembris, anno 47.

DOMINICA XX.
DOMINICA XX.
POST TRINITATIS.

Epistola Ephes. 6.

Quod superest fratres mei, sitis fortes per Dominum, pérque potentiam roboris illius. Induite totam armaturam Dei, ut possitis stare aduersus insultus Diaboli. Quoniam nō est nobis lucta aduersus sanguinē & carnē, sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mūdi dominos, rectores tenebrarū seculi huius, aduersus spirituales astutias in cœlestibus. Quapropter assumite universam armaturū Dei, ut possitis resistere in die malo, & omnibus peractis stare. State igitur lumbis circumcinctis baltheo per veritatem, & induit thoracem iustitiae, & calciati pedibus, ut paratis sitis ad Euangeliū pacis, super omnia assumpto scuto fidei, quo possitis omnia iacula mali illius ignita extinguere. Galeāmque salutaris accipite, & gladium spiritus, qui est verbum Dei.

Magis ab acie & præliis corporalibus translata est ad militiam spiritualem, ut commonefaciat nos, magna esse pericula omnium piorum, & vigiliam necessariam, & assidua certamina suscipenda esse ad hos tres hostes reprimendos,

dos, vagabundæ naturæ impetus, Tyrannorum & omnium impiorum minas & illecebros, & insidias Diaboli. Vult igitur nos ut milites stare in acie armatos, ac ordine nominat regumenta & arma.

Primum tegumentum est thorax. Vult autem thorace in esse iustitiam. Ut enim natura prius tegendum est corpus, postea verò danda tela ad repellendum hostem: ita singulis prima sit cura iustitiae, id est, reconciliationis, qua persona primum sit induta. Cum enim placet Deo, postea poterit præliari.

Cingulum, quo thorax vinciendus, est veritas, id est, cognitio veræ doctrinæ, ex qua discitur & retinetur iustitia seu reconciliatio,

Calcei sunt ipsa Euangeli professio, gubernans iter, id est, vocationem, ut vlla actio, vllum iter suscipiatur pugnans cum professione & vocatione, vt Petrus stringens gladium in horto aliud iter ingreditur, quam debet, nec consistit in iis calceis, quos ei Euangelium induit.

Clypeus est fides. Prius de tegumentis seu de vestitu dictum est, nunc addit munita. Præcipuum autem est clypeus, qui repellit tela diaboli. Fides enim circuhat nobis præsentia Christi, qui iuuat nos, ne hostis possit nos euertere, etiā cum valde premit diabolus, & repellit instantem hostem, vt Dauidem premit diabolus, & conatur euertere vt Saulem: sed stat Dauid non suis viribus, sed fide, id est, fiducia præsentia Dei, à quo iuuatur ne cadat, sed statuat se non

esse solum, nec proiectum nec desertum à Deo, imò se receptum esse & custodiri à Deo, & habiturum liberationem, & societatem electorum in vita æterna.

Assiduè incurunt in animos omnium træ dubitationes, quibus diabolus multos e-uertit, & à Deo auellit: Estnē Deus verè curans homines? Estnē hæc doctrina de Deo vera, quæ in his Ecclesiis traditur? Quid de ea sentiam, cùm tantæ dissipationes, & tam tristia scandala in hoc ipso cœtu sint, qui vocatur Ecclesia Dei? Denique etiamsi vera est doctrina, etiamsi alios curat Deus; tua peccata merentur te abiici: te negligit Deus, non exaudit Deus te. Et si quando affligimur, & crescunt ærumnæ, magis excruciantur animi his dubitationibus.

Hæ obiectiones sunt tela diaboli, de quibus hic dicit, quibus atrociter sauciantur animi, extincta fide, vt in Saule & multis alijs apparet: sed cùm fides velut clypeus opponitur, repelluntur: quia fides amplectitur doctrinam, & statuit vere vos curari & exaudiri, & custodiri à Deo, & præsentis filij Dei manu tegi nos affirmat, sicut manu Dei Moses interstantes aquas ducebatur, vt inquit Esaias.

Galea in fine prioris Epistolæ ad Theffl. vocatur spes. Omnes corporis partes muniuntur clypeo, qui obuertitur hosti, quamcunque partem ferire conanti. Ita fides communè propugnaculum est, accipiens reconciliacionem, & petens & expectans liberationem &

auxilium in præsentia & in futurum : galea
verò propriè munit caput. Ita spes vitæ æternæ
est principalis consolatio , quæ lenit omnes a-
lias miseras , & implicita est omnibus aliis
consolationibus.

Paulus sustinet omnes alias miseras & cru-
ciatus , intuens finem , quem scit perpetuum
esse in vita æterna. Interea verò calamitates &
supplicia perfert , ut Deo obediat.

Quærant vitæ suavitates quantascunque
possunt homines sapientes , qui non expe-
ctant consuetudinem æternam cum Deo : ta-
men hæc vitæ eis vniuersa carcer & magna mi-
seria esse iudicatur. Nasci & extingui casu se
vt flores arbitrantur , nisi quod homines eo
sunt miseriiores , quod intelligunt suas calami-
ties , & earum intellectu cruciantur.

Cùm igitur principalis consolatio sit spes
vitæ æternæ , galeæ comparata est. Nec est leue
certamen in corde , verè hanc spem retinere.

Hactenus recitaui vestitum & munimenta , quæ necessaria sunt ad tegendum & defen-
dendum corpus. Necesse est autem eis addi ar-
ma ad feriendum hostem . Etsi enim prima
cura est defensionis , tamen & alteram accede-
re oportet præliandi & feriendi hostis . Ut au-
tem antea præsidia tribuit non legiones & e-
quites , quibus defenderemur , sed iustitiam
& fidem. Abraham tutus est inter Cananæos ,
non præsidiis militaribus , sed iustitia & fide ,
Deo custodiente: Ita nunc arma dantur non
machinæ ænæ , sed verbum Dei & precatio.

Diabolum verbo Dei repellimus, ut repulit Christus, opponens verbum: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Sic & haereticos & alios impios refutamus testimoniis verbi Dei, & violentiam Tyrannorum frigimus. Orante Mose, vincit exercitus Israël. Nobis docentibus & precantibus reprimuntur diaboli & tyranni, ne possint bella mouere, & facere horrendas vastationes, ad quas efficiendas suo quodam furore impelluntur. Hæc arma nobis data esse meminerimus, & discamus, cogitemus & doceamus Euangeliū studiosius & ardentius, & precationem quotidie adiungamus, clamemus ad Deum per Mediatorem Dominum nostrum Iesum Christū, ut nos regat, defendat & seruet, sicut h̄ic iubet Ephesios precari, ut Euangeliū fœliciter propagetur.

DOMINICA XXI. POST TRINITATIS.

Epistola Philip. i.

Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri, semper in omni prectione mea pro omnibus vobis, cum gaudio prectionem facias, quod veneritis in communionem Euangelij, a primo die usque ad hoc tempus: persuasum habens hoc ipsum, quodis qui cœpit in

in vobis opus bonum, perficiet usque ad diem Iesu Christi: sicut iustum est mihi, ut hoc sentiam de omnibus vobis, propterea quod habeam vos in corde, & in vinculis meis, & in defensione, & confirmatione Euangely, cum sitis omnes mihi consortes gratiae. Testis enim mihi est Deus, quam desiderem vos omnes in visceribus Iesu Christi. Et illud oro, ut charitas vestra adhuc magis ac magis exuberet in agnitione, omniq[ue] intelligentia: ut probetis, quae sunt præstantia, ut sitis sinceri, actales, ut nemini sitis offendiculo, in diem Christi, impleti fructu iustitiae, qui contigit per Iesum Christum, ad gloriam & laudem Dei.

LOCI PRAECIPVI.

- I. Consolatio de stabilitate Ecclesie & fidei.
- II. De officio boni doctoris.
- III. An liceat Christianis iurare

De primo Loco.

 Mnes pios maximè angit atque sollicitos habet hæc questio; Quid de stabilitate Ecclesie existimandum sit, præterim cum hostes Euangeli, non iudicio neque disceptatione, sed vi atque impressione eam euertere conentur. De-

inde singulos priuatim hæc cura excruciat, an
inter tot & tām varias difficultates lux fidei ad
supremū vitæ diem retineri possit? Sed his a-
nimorum nostrorum curis & solicitudinibus
Paulus adhibet consolationem maximè con-
gruentem: Exploratè mihi perceptum est &
cognitum. Ecclesiam mensuram esse, vsque ad
illum diem, quo se filius Dei, dux & libera-
tor Ecclesiæ iterum ostendet vniuerso generi
humano. Sit etiam hoc persuasum piis omni-
bus, fidem velut pelagi rupe immotâ fore,
qua sese multis circumlatrantibus vndis, mo-
le tenet, scopuli ne quicquam & spumea cir-
cum saxa fremunt, laterique illis refunditur
alga. Ac ne cui hoc mirum videatur, infra in
cap. 2 eadem consolatio repetetur: Deus, qui
dedit vobis ut velitis, dabit etiam ut perficia-
tis, vt ipsi fiant aliqua grata.

Secundus Locus,

De officio boni doctoris.

Quemadmodum politici gubernatores in
aliquid præclarum & singulare exemplum
intuentur, illiusque quantum vel ingenio vel
industria assequi possunt, similes esse student:
Ita hi, qui onus docendi Euangelij suscepérunt,
tota mente atq; omni animo Paulum intue-
antur, & virtutes huius doctoris sibi ad imi-
tandum proponant. Nulla enim mater tantæ
amicitia & charitate sobolem complectitur.
quan-

quanta Paulus Ecclesiam complexus est. Sunt enim noti versiculi:

*Seilicet ut fulnum spectatur in ignibus aurum,
Tempore sic duro est inspicienda fides.*

Quare cùm Paulus inter ærumnas retinuerit Ecclesiarum memoriam, déque eatum statu magis sollicitus fuerit, quàm de suis periculis, facile iudicari potest, paternam φιλοσογίαν in Paulo fuisse.

Adde huc seriam & ardentem precationem, in qua petiuit à Deo, vt Ecclesia semen conceptum fouerent, & segetem iucundam funderent. Adde etiam animi magnitudinem & constantiam, quan non dubitauit pro lege & pro grege mori. Quamobrem ministri Euan-gelij primùm amore Ecclesia ardeant: deinde vota faciant, vt Ecclesia semen acceptum, magno cum fœnore reddat. Postremò, prompti & parati sint ad tolerandas ærumnas, quæ piis doctoribus propter confessionem impendent.

De tertio Loco.

Iusjurandum est affirmatio religiosa, qua homo testatur, Deum intueri qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat, qua mente, qua pietate colat religionem, piorumque & impiorum habere rationem, & petit ut consultò & cogitatò fallentes puniat.

Cùm autem Matth. 5 dicatur. Nolite iurare omnino, multi quererentur solent, quid de iu-

ramentis existimandum sit; Sintne omnia iuramenta sine exceptione à Christo prohibita? Respondeo: Non ex singulis vocibus conciones Christi spectandæ sunt, sed ex perpetuitate atque constantia.

Christus cap. 5 Matthæi de ijs iuramentis disserit, quæ priuatim erumpunt, non cogente magistratu aut vocatione. Quod autem magistratui iuramentum *ἐπαντον* dandum sit, partim ratio nos admonet, partim authoritas docet. Multa enim firmāda sunt iure iurando. Multos diuini supplicij metus à scelere reuocat. Denique sancta est societas ciuum inter ipsos, Deo immortali interposito tūm iudice, tūm teste.

Sed ne omnia reuocentur ad primas notiones, autoritas Pauli hoc idem ipsa declarat. Est enim nota Pauli regula, quæ ad Roman. 13 traditur: Potestati obediendum est non tantum propter pœnam, sed multò magis propter conscientiam.

Illud verò ius iurādum, quod vocatio nobis exprimit, Deo placere, testatur vox diuina cap. 10 Deuter. Dominum Deum tuum timebis, & per nomen eius iurabis, scilicet cogente vocatione aut magistratu.

Die 7 Nouemb. Anno 47.

D O-

D O M I N I C A X X I I .
POST TRINITATIS.

Epistola Philip. 3.

Pariter estote imitatores mei fratres, & considerate eos quis sic ambulant, quemadmodum habetis nos pro exemplari. Nam complures ambulant, de quibus sapientia dixi vobis, nunc autem & flens dico, inimici crucis Christi, quorum finis perditio est, quorum Deus venter, & gloria in dedecore ipsorum, qui terrestria curant. Nam nostra conuersatio in cælis est, ex quo & seruatorem expectamus, Dominum Iesum Christum, qui transfigurabit corpus nostrum humile, ut conformat reddat corpori suo glorioso, secundum efficiaciam, qua potest etiam subiçere sibi omnia.

LOCI TRES.

- I. *Imago regni Pontificij,*
- II. *De regno Christi.*
- III. *De resurrectione carnis.*

Primus.

Vm multæ extent picturæ regni Pontificij, tūm illa nimirum prestat omnibus, quæ in cap. 3 ad Philipp. proponitur. Nam cūm ait, multos inimicos esse crucis Christi, significat quale sit

sic genus doctrinæ, quod in regno Pontificio sonat. Res enim ipsa satis declarat, omnes opiniones & cultus qui à pontificibus Rom. in Ecclesiam inuecti sunt, impiè ac tetrè deformare necessariam & salutarem doctrinam de beneficijs Christi, crucifixi pro nobis & resuscitati.

Si enim homines operibus iusti sunt, & legi satisfacere possunt, efficitur illud, vt Christus frustrà sit mortuus.

Quis autē ignorat has sententias ab aduersarijs pertinaciter defendi: Nullum peccatum nisi originale propter Christum remitti, cetera quæ baptismum consequuntur, nostris meritis expianda esse: cuiusmodi sunt, sufficiens contritio, scrupulosa delictorum enumeratio, Canonica satisfactio, vita monastica.

Quid tām porrò contumeliosum est in crucem Christi, quām inuocatio hominum mortuorum, & prophanatio cœnæ Domini in Missis venalibus & funebris, quas singunt habere vim tollentem atque delentem peccata.

Huic verò idolatriæ adjunctus est Epicureus contemptus Dei, qualis ab Euripide describitur. Sicenim Cyclops inquit:

Ζηνὸς δὲ γὰρ κεραυνὸν ὃν φρίστω ξενέ,
ἔνδιολδότι ζεὺς εἰς ἐμῦ κρέας ανθεός
ἢ γῆ δὲ ἀνάγκη ἡ ἀνθέλητὴ μηδέλη
τίκτυσα πόσαν, τὸ δύμα πιάνει βοτά,
ἀλλὰ τοιγάδε πάντα πελῶνται θεοῖς δὲ
τῷ μεγίστῃ γαστὶ τῆς δαιμόνων.

Non

*Non vlla numina expauesco cœlitum,
Sed victimas vni deorum, maximo
Ventri offero: Deos ignoro ceteros.*

Etsi autem nunc floret politia Pontificia instructaque est rebus his omnibus, quibus abundant hi, qui beatè putantur: tamen cum dixerit, pax & securitas, ut Pauli utar verbis, repentina interitu opprimetur. Nam idem Paulus 2 Thess. 2 ruinam huius regni lucide non obscurè prædictit, inquiens: Cum reuelatus fuerit homo peccati & filius perditionis, quem Dominus Iesus Spiritu oris sui interficiet, & tandem omnino abolebit illustri aduentu tuo. Quod si moram fecerit Dominus, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit.

Secundus Locus.

Primum tenenda est vera & erudita definitio regni filij Dei.

Regnum Christi est gubernatio Christi, colligentis sibi Ecclesiam per ministerium Evangelij omnibus temporibus mundi, & liberantis eam à peccato & æterna morte, & sanctificantis eam dato Spiritu sancto, ut sit æterna ipsius hereditas, & mirabiliter eam defendentis, & regentis eam in hac vita, ut verè inuocet, & agnoscat exaudiri preces, ac celebret Deum & resuscitantis eam ex morte ad vitam & gloriam sempiternam.

Ex hac definitione iudicari potest, longe ab
re ipsa

rei ipsa distare atque à veritate imaginationem Pontificum & aliorum, qui cogitant Ecclesiā esse politiam similem regno, in qua oporteat vnum aliquod visibile caput esse, armatum potentia & potestate condendi leges & interpretandi, laxandi & astringendi leges diuinās & humanas: & hoc caput volunt alligatum esse certo loco & electioni certi Collegij, ut in alijs regnis.

Cū natura homines intelligent politica, libenter transformant & Ecclesiam in tales humanam politiam. Sed hæc imaginatio refutanda est propter multa incommoda: Quia Tyrannica potestas hoc prætextu instituit, qualis est Pontificia, quæ multos impios cultus & idola instituit. Deinde doctrina de cruce, & promissiones spirituales obscurantur. Nam oculi intēti in politica bona, his amissis, putant Ecclesiam à DEO abiectam esse. Ideo sāpe multūmq; cogitemus hoc Pauli dictum ad Philip. 3. ἡμῶν γδ τὸ πολίτευμα εὐεργάτων ὑπάσχει.

Tertius Locus.

Omnem hanc de resurrectione disputacionem in partes tres diuidemus: quarum prima est, quod Christus velit omnes homines à mortuis excitare. Altera est, quod possit hanc, tantam rem efficere atque assequi. Tertia est, qualis futura sit resurrectio piorum.

Primūm igitur quærenda sunt clara & illustria testimonia, quibus voluntatem suam Chri-

Christus de resuscitatione mortuorum humano generi patefecit. Ioan. 5 Filius Dei ipse inquit: Veniet hora, in qua omnes humo interdicti audient vocem meam, & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt in resurrectionem iudicij. Ioannis 6: Hęc est voluntas Patis mei, qui misit me, ut omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Ioan. 11. Ego sum resurrectio & vita, qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet, & omnis qui viuit & credit in me, non morietur in æternum. Sit igitur hoc iam à principio persuasum omnibus, Christum velle, ut omnes mortui in postrema mundi die reuiniscant.

Sequitur ut doceam Christum tāta potentia prædictū esse, quātā ad huius mirandi operis molitionē requiritur. Cūm enim hic mundus & initio constitutus sit potentia Filij Dei, & omni tempore administretur, perspicuum esse debet, ead ēpotentia, quæ immensa & infinita est, mortuos in vitā reuocari posse. Ade huc ipsius Fillij Dei resuscitationem, & mortuorum, qui vnā cum ipso tanquam satellites in cōclūm ascenderunt.

Cōstituta hac sententia, deinceps quārendū est, qualisham futura sit resurrectio piorum. Sed hanc questionē Paulus apertè & luculentē explicat, inquiens; Christus transformabit corpus nostrum fragile & caducum, ea quidē ratione, ut proximè ad ipsius corpus resuscitatum

tum & glorificatum accedat. Sic & Ioannes in Epistola cap. 3 ait: Cùm apparuerit dux & liberator Ecclesiaz, Filius Dei , similes ei erimus. Hac igitur consolatione præsentes miseras leniamus , quia dùm respicimus, quod aiunt, versamùsque nos , immortalitas aderit.

Die 8 Nouembris, anno 47.

DOMINICA XXIII. POST TRINITATIS.

Epistola Colos. I.

Propterea & nos , ex quo die audiuimus,
non desinimus pro vobis orare , & posse-
re, ut impleamini agnitione voluntatis eius,
in omni sapientia & prudentia spirituali, ut
ambuletis dignè Domino , ut per omnia pla-
ceatis, in omni opere bono fructificantes , &
crescentes in agnitionem Dei , omni robore
corroborati , iuxta potentiam gloriae illius,
ad omnem tolerantiam ac patientiam, cum
gaudio , gratias agentes Patri, quod idoneos
nos fecit ad participationē sortis sanctorum
in lumine, qui eripuit nos à potestate tenebra-
rum, ac transtulit in regnum Filij sibi dilecti,
per quem habemus redemptionem per san-
guinem ipsius, remissionem
peccatorum.

LOCI

L O C I D V O.

- I. *De officio doctorum Euangely.*
 II. *De vita Christiana.*

Primus.

Hic locus, cùm supra aliquoties à nobis explicatus sit, in præsentia omittetur.

Secundus Locus.

Quemadmodum tres sunt hominis vires præcipuæ, mens, voluntas & cor: sic tribus in rebus vita Christiana versatur. Prima est agnitionis voluntatis diuinæ, & intelligentia spiritu-alis. Altera est cursus bonorum operum. Tertia est tolerantia in afflictionibus. Earum, si placet, rerum, quanta quæque valeat, quantumque iusta sit vnaquæque. videamus.

Principiò satis constat, necessariam esse agnitionem Dei & voluntatis diuinæ. Ideò enim conditi sumus, & sanguine Filij Dei redempti, ut authorem nostræ naturæ agnoscamus, & grata mente celebremus hanc tantam bonitatem, quod Deus nos recipit propter Filium, nec ullam prærogatiuam admittit extra hanc normam, quam tradidit in voce Euangeliij. Quamobrem nulla nos satietas capiat doctrinæ cœlestis, sed quod affluentius vndeque eam haurimus, eò grauius ardentiusque fitiamus.

Cùm autem regnum Dei non tantum in sermone, sed in veritate, id est, in vera pietate

& disciplina consistat, danda est opera, ut professionem Euangelij piis & castis moribus ornem⁹. Estenim verissima Nazianzeni vox: Qui benè docet, & turpiter viuit; vna manu adificat, & altera destruit.

Et quoniam Euangelij confessio est coniuncta cum magna varietate periculorum & ærumnarum, iuxta illud: Omnes qui volent piè viuere in Christo, persecutionem patientur: haud scio an vlla virtus post inuocationem magis necessaria sit homini Christiano, quàm tolerantia. Itaque præparemus nos, ad futura certamina, & à Deo precemur, ut Spīritu spontaneo, id est, sponte obtemperante in afflictionibus nos confirmet, Amen.

DOMINICA XXIIII. POST TRINITATIS.

Epiſtola Galat. 5.

Fratres: Spīritu ambulate, & concupiſcentiam carnis non perficietis. Nam caro concupiscit aduersus spīritum, spīritus autem aduersus carnem. Hac autem inter se mutuò aduersantur, ut non quæcumque volueritis, eadem faciatis. Quare si spīritu duſcimini, non ẽtis sub lege. Porro manifesta sunt opera carnis, quæ sunt hæc, adulterium, ſcortatio, immundicia, laſcinia, ſimulachra-

rum

rum cultus, beneficium, inimicitiae, lis, emul-
tationes, irae, concertationes, seditiones, se-
cta, inuidiae, cedes, ebrietates, comedessatio-
nes, & his similia, de quibus prædico vobis,
quemadmodum & prædicti, quod qui talia
agunt, regni Dei heredes noverunt. Contrà,
fructus spiritus est charitas, bonitas, fides,
mansuetudo, temperantia. Aduersus hu-
eiusmodi non est lex. Qui vero sunt Christi,
carnem crucifixerunt cum affectibus & con-
cupiscentiis.

LOCI TRES.

- I. De dissensione atque discordia carnis & spiri-
tus.
- II. De abrogatione Legis.
- III. Refutatio Antinomorum.

Primus Locus.

Multæ sunt in natura ἀταξία, ut
delphini & murenæ, cygni & a-
quila, equi & camelij: sed nulla ma-
ior est quam spiritus & carnis, quæ
bellum ἀναρρόν inter se gerunt. Est enim caro
ἀταξία omnium virium in homine, ut mentis
caligo de Deo, auersio voluntatis ab illo sum-
mo & maximo bono, contumacia cordis.
Hæc ἀταξία aduersa fronte repugnat Spiritui
sancto, & motibus ab eodem excitatis: sed gra-

tia in renatis, & donum per gratiam, ut Pauli verbis utar, carnem frangit & comminuit, ferocitatēque eius ita reprimit, ut facile Spiritui sancto victoriā tradat. Hoc adiutori Joseph repugnauit illecebris dominæ, Ionthas repressit flamas æmulationis. Denique piis, qui norūt exercitia fidei & inuocationis, non obscura est σαρκοπνευματομαχία.

Secundus Locus.

Cūm omnis lex obliget vel ad obedientiā, vel ad pœnam; dextrè intelligenda sunt hæc dicta, quæ affirmant, renatos non esse sub lege. Etsi igitur sancti à legis maledictione liberati sunt: constat tamen eterna, positumq; lege est, ut creatura conditori obtemperet. Nequaquā enim libertas Christiana transformanda est in barbaricam & Cyclopicam licentiam omniū scelerum, sed obedientiā inchoandam esse, & hanc placere Deo sciamus propter Mediatorem, et si adhuc imperfecta est in hac vita, & multis sordibus contaminata.

Tertius locus.

Supra aliquoties refutauit amentiam Antoninorum, qui somniant, fidei nihil nocere lapsus voluntarios: sed hoc facile confutare possumus testimonio Pauli ad Galat. 5: Manifesta sunt opera carnis; adulterium, scortatio, idolatria. De his prædico vobis, quod, qui talia

lia agunt, regnum Dei non possidebunt. Ideò autem vocat manifesta opera: quia de eis conscientia facientis certò iudicare potest ex lege Dei, & scit Deo displicere malum propositum.

*Finis Epistolarum à festo Trinitatis usque ad
Christi aduentum in carne,*

Anno Christi 1547. die 18 Nouembris.

Esa. 54.

*Montes mouebuntur, & colles cōtremiscent:
misericordia autem mea non recedet à te,
nec fædus pacis meæ mouebitur, dicit mi-
serator tuus Dominus.*

Esa. 59.

*Hoc fædus meum cum eis, spiritus meus qui
est in te, & verba mea quæ posui in ore
tuo, non recedent ab ore seministri in æ-
ternum.*

SOLI DEO GLORIA.

*Deus misereatur nostri, & benedicat
nobis.*

NEOSTADII IN
PALATINATV,

Typis Matthei Harnisch.



Anno

M. D. LXXXIII.

